This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08187813 8

65
.L335
Ahmad ibn 'Abd Allah called Ibn Zaidun

Ibn-Zaiduni

vitam scripsit

epistolamque ejus ad Ibn-Dschahvarum

scriptam nunc primum edidit

R. O. Besthorn.

Hauniae MDCCCLXXXIX
Apud Guilelmum Prior
librarium regium
Typis Schultzianis.

[redacted]

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
431002
ASTOR, LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS.
1908

Hanc dissertationem Facultas philosophica Universitatis Hauniensis dignam judicat, quae ad Doctoris honorem et nomen auctori comparandum publico examini subjiciatur.

Hauniae a. d. IV Non. Novbr. MDCCCLXXXVIII.

Ludv. F. A. Wimmer,
Decanus Fac. philos.

Praefatio.

In vita Ibn-Zaiduni scribenda exponenda maxime res ad epistolam a me editam spectantes tractavi. Mihi non licuit vitam Ibn-Zaiduni, quam Ibn-Bassam scripsit, diligentius exploraie, neque dubito, quin in codice Parisino, qui primum volumen operis ejus praestantissimi continet, multa ad vitam poetae nostri illustrandam utilia etiamnunc lateant. In ipsa epistola Ibn-Zaiduni non omnes, in commentario Aç-Çafadii modo paucas annotavi scripturas discrepantes; spero tamen, me nihil majoris momenti omisisse.

Latine scripsi invitus, vereor, ne etiam invita Minerva. Si non saepius peccavi, hoc *Oscaro Siesbyio* v. d. debeo, quem et in schola et in universitate magistrum habui. Is enim, cujus peritia linguae Latinae singularis omnibus, qui in his studiis versantur, nota est, summa benevolentia, suis ipsius studiis postpositis, ea, quae scripseram, perlegit erroresque graviores correxit; sed vereor, ne postea multis addendis, multis mutandis in alios inciderim, et omnino magis verbis Arabicis quam linguae Latinae operam dedi. Summa liberalitate praefectorum bibliothecae Parisinae nationalis quam vocant et bibliothecae Leidensis codices, quibus ad epistolam Ibn-Zaiduni edendam usus sum, Hauniam transmissi sunt, praefecto Magnae bibliothecae regiae Hauniensis *Christiano Brunio*, qua est erga litterarum studiosos benevolentia, intercedente. Ab viro doctissimo et

clarissimo *de Goeje* magister meus van Mehren impetravit, ut textum poematis, in quod epistola a me edita desinit, cum apographis Bernsteinii et Sprengeri in bibl. Leid asservatis (Cod. CCCLXXXIV) conferret. *Oestrup* amicus meus juvenis et ipse his studiis deditus in typis corrigendis me multum adjuvit. Praeter hos viros, quorum erga me benevolentiam grato animo adgnosco, hoc loco *Augusto Michaelo Ferdinando van Mehren* v. cl. prof. ling. Semit. univ. Haun., qui non modo studiis meis praefuit, sed etiam in hoc libello scribendo me omnibus modis adjuvit, gratias quam maximas ago. Restat, ut typothetae, *Mariae Pfeilio*, quae summa diligentia opus nostris typothetis insolitum perfecit, gratias agam.

Scripsi Hauniae pridie Nonas Apriles anni MDCCCLXXXIX.

R. O. Besthorn.

I.

De vita Ibn-Zaiduni.

Abul-Valid Ahmad Ibn Abdallah Ibn Ahmad Ibn Ghalib Ibn Zaidun [1]) Cordubae anno 394. (1003—4) natus erat [2]). Illo tempore regnum Omaijadarum Hispanicum specie quidem vigebat. Almançuro, qui ingenio, virtute militari omnes hostes et externos et domesticos vicerat, anno ante mortuo filius successerat, qui non aliter ac pater nomine infelicis chalifae Hischami II regnavit, vir patri magno non impar.

Sed illa aetas aurea [3]), ut posteri eam appellabant, mox evanuit. Ibn-Zaiduno sex modo annos nato Amiriditis, posteris magni Almansuri, ex altissimo loco dignitatis et potentiae dejectis (initio anni 1009 p. Chr. n.), rex regi successit — si modo eos, quibus nulla erat potentia, reges appellare licet -- ex regno magno multae civitates parvae factae, modo Berberi Africae septentrionalis, modo alii mercenarii rerum potiti omnia vastabant, Corduba, caput regni, his seditionibus fere periit.

Quod vulgo dicunt, inter arma musas silere, hic non magis quam in Graecia antiqua, in Provincia Gallica civitati-

---

[1]) Aç-Çafadi (cod. Paris. nr. 1504, fol. 3 r.). Ibn-Nubatah (Dozy, Catal. codicum oriental. bibl. acad. Lugduno-Batavae, I, 242) eum Abul-Valid Ahmad Ibn-Abdallah Ibn-Ghalib Ibn-Zaidunum appellant, apud Ibn-Chaqanum (Qalaijid-ul-Iqjan, ed. Bulaq., pg. 70) est Abul-Valid Ahmad Ibn-Abdallah Ibn-Zaidun, apud Ibn-Bassamum (cod Par. f. 87 v.) Abul-Valid Ibn-Zaidun.

[2]) Ibn-Nubatah, l. l.

[3]) Dozy, Gesch. der Mauren in Spanien II, 160.

busque Italiae medii aevi rebus probatum est. Nam contra inter has res tumultuarias viri extiterunt, qui „regulis" regnantibus artem historiae scribendae atque poeticam quam maxime colerent. Hae artes tum jam per longum tempus in Hispania Arabica floruerant. Primus ex Omaijadis, qui in Andalusia regnavit, Abdur-Rahman 1 poeticam coluit, cui rei documento sunt elegiae, quibus desiderium Orientis, suae patriae longinquae, unde crudelitas Abbasidarum eum expulisset, expromit [1]), et ex successoribus ejus erant, qui easdem artes colerent. Sed quum res civitatis ambiguae essent, Hispania autem ab sedibus litterarum Arabicarum remota, lentius hic et per multas dificultates artes liberales progressae sunt, et litterae Hispanico-Arabicae etiam postea, quum jam florerent, litteris Orientis omnibus modis elaboratis, si non semper ingenio attamen arte perfectis nitebantur, nec unquam ab iis longius recesserunt.

Ex ipsarum rerum natura sequitur, ut primae disciplinae, quae etiam ab Arabibus Hispaniae colebantur, fuerint interpretatio Corani disciplinaeque cum hoc studio conjunctae. Quod Hischam I († 796 p. Chr. n.) scholae Maleciticae favebat, haec studia magnopere fovit, et eo regnante „vir Hispaniae maximo ingenio praeditus", Jahja Ibn Jahja exstitit [2]). Abdur-Rahman II († 852) litteris atque poeticae favebat; etiam in aula successoris ejus, Muhammedi I, hominis animo minuto praediti, has artes mediocriter colentis poetae versabantur, sed bellis civilibus inter reges Cordubae et ducem Hispanorum Omar Ibn-Hafsunum omnia, etiam litterae, labefacta sunt. Regnum Omaijadarum ex his malis, quae ei ruinas minabantur, viribus refectis evasit. Primus chalifa Cordubensis Abdur-Rahman III (912—61) omnibus hostibus victis

---

[1]) A. F. v. Schack pereleganter ut semper haec carmina in linguam Germanicam vertit (Poesie und Kunst der Araber in Spanien und Sicilien, zweite Auflage, I, 49—50).

[2]) Dozy, Gesch. I, 282. Ibn-Challican, transl. by Slane IV. 29.

regno novum splendorem veterem valde superantem addidit. Filius ejus Hakam II (961—76) studio litterarum excellens collegit bibliothecam magnificam, quae 400,000 voluminibus constabat. Haec omnia eum perlegisse vulgo dicunt, quod tamen certe non ad verbum accipiendum est[1]). Et disciplina puerilis et studia eruditorum ei curae erant, omnes disciplinae, etiam poetica eo regnante ut nunquam antea in Hispania Arabica floruit. Etiam ad orientem laude ejus perlata poetae regem suarum artium fautorem potentissimum celebrabant, Ali Ispahanensis ei librum suum celeberrimum cantilenarum dedicavit. Poetae permulti et litteris eruditi, qui eo regnante in Hispania vixerunt, nominantur.

Studiis eruditorum maxime philosophorum magnus Almançur, nomine vezirus summus Hischami II, re vera chalifa, obstabat, quippe qui coactus esset, ut orthodoxorum rationem haberet, sed laudis poetarum satis avidus more regum Orientis multos poetas aluit, magnificentissime eos donavit. Poetae Amiridici — ex nomine Almançuri Ibn Abi Amiri sic appellati — fere innumerabiles sunt[2]). Almançuro regnante vixit etiam scriptor vitarum poetarum et eruditorum Andalusiae, Ibn-Al-Faradhi († 1013), cujus „historia virorum eruditorum Andalusiae"[3]), quam Ibn-Baschkuval continuavit, sed quae ipsa periit, documento est, quo jam circa annum millesimum p. Chr. n. disciplinae Occidentis Arabici progressae fuerint.

[1]) Al-Maqqari (ed. Leid. I, 256) nihil aliud dicit nisi perpaucos modo libros bibliothecae ejus fuisse, quos non inspexisset, aut certe, quo quisque pertineret, explorare conatus esset. Scriptores posteriores haec sic mutaverunt, ut narrarent. eum omnes libros suos perlegisse, quod tamen ne chalifa quidem perficere potuisset. Ibn-Adzari (ed. Dozy, pg. 249) Hakamum II 63 annos 7 menses vixisse tradit. Si jam quatuordecim annos natus libros illos perlegere incepisset, neque hunc laborem ne unum quidem diem ante mortem remisisset, per hos annos quinquaginta unoqvoque anno octo millia librorum i. e. quotidie plus quam viginti legendo absolvere debuisset

[2]) Vide, quos v. Hammer-Purgstall (Litr. der Araber V, 806 sq.) enumerat.

[3]) تأريخ علماء الاندلس Maqqari, ed. Leid. I, 545.

Vezirus Abdur-Rahmani V, Ibn-Hazm, qui eodem tempore quo Ibn-Zaidun vixit, quique post regnum brevissimum chalifae, quem nominavi, otio fruens historiam et poeticam colebat, quid de studiis litterarum Arabum Hispaniae judicaverit, epistola ejus celeberrima, quam Al-Maqqari[1]) servavit, demonstrat. Multa opera et eruditorum et poetarum citat, neque dubitat profiteri, suo judicio non pauca eorum libros Arabicos classicos dictos aemulari vel etiam eos superare.

In parvis civitatibus ex regno Omaijadarum ortis litterae Hispano-Arabicae ad summum fastigium pervenerunt, quippe quum principes earum certatim celeberrimos scriptores et poetas in aulis suis colligerent, quorum splendor iis pro facinoribus et potentia erat. Dominus Cordubae, nomine modo in formam liberae civitatis redactae, post Omaijadas ejectos factus est Abul-Hazm Ibn-Dschahvar, qui erat caput antiquae familiae nobilis. Dschahvaridae antiquitus clientes Omaijadarum erant. Primus ex iis, quos cognovimus, Abdallah Ibn-Dschahvar fuit, qui in proelio prati Rahitensis, in quo Mervan chalifa adversarios vicit regnumque Omaijadarum confirmavit, virtute conspicuus erat. Ob virtutem chalifa Abdallahum manumisit, cujus nepos Hasan anno 113. (731—32) Hispaniam intravit. Minimus natu e filiis Hasani, Abdul-Ghafir, cujus fratres interfecti erant, una cum Abdur-Rahmano, postea rege Hispaniae, educatus erat. Hasan pro viribus Abdur-Rahmanum regnum appetentem adjuvit, postea vezirus ejus et praefectus Sevillae factus est. Quo mortuo filius Abdul-Ghafir vezirus factus et Abdur-Rahmano et Hischamo et Al-Hakkamo regnantibus locum obtinebat; etiam frater ejus Abdul-Aziz vezirus erat. Obaidallah, nepos Abdul-Ghafiri, vir et dives et litteris plene imbutus apud regem Abdallah Ibn-Muhammedum multum valebat. Ex itinere Meccensi reversus otio fruens Cordubae anno 294. (906—7) mortuus est. Filius ejus Dschahvar, poeta magno ingenio

[1]) Ed. Leid. II, 109—21.

praeditus, celeberrimi Abdur-Rahmani III vezirus erat. Familia Dschahvaridarum Amiridis regnantibus potentiam opesque servavit, donec pronepos Dschahvari, Abul-Hazm rerum Cordubae potitus est[1]). Dschahvar Ibn Muhammad vulgo Abul-Hazm dictus anno 364.[2]) (974—75) natus, quo tempore Hakim II adhuc regnavit, lucem adspexit regno Omaijadico vigente, omnesque vicissitudines ejus vidit, donec regnum bellis inter ultimos debiles chalifas et mercenarios gestis interiit.

Regno Omaijadico concidente Abul-Hazm Ibn-Dschahvar inter omnes cives Cordubae excelluit. Princeps senatus quum esset, Jahjao Hammudita ejecto (1026) Omaijadas in regnum reducere conatus, quippe qui eorum cliens esset, aliis senatoribus persuasit, ut Hischamum Omaijadam regem crearent. Ultimo mense anni 1029 Hischam urbem intravit, sed Ibn-Dschahvaro spreto Hakkam Ibn-Saidum, qui textor fuerat, chalifa rei publicae administrandae praeposuit. Hischam tamen beneficiorum Ibn-Dschahvari non plane oblitus Hakkamo petenti, ut Ibn-Dschahvarum senatu moveret, morem non gessit. Sed quum Hakkam iterum iterumque idem flagitaret, Ibn Dschahvar timens, ne chalifa Hakkamo cederet, has res dirimere constituit. Anno 1031 Hischamo in exilium ejecto Corduba nomine civitas libera facta est, re vera autem Ibn-Dschahvar regnavit. Sed is, qua erat prudentia nomen chalifae sprevit, duosque senatores elegit, qui collegae sui in rebus publicis gerendis essent[3]).

Abul-Hazm Ibn-Dschahvaro anno 1043 mortuo filius ejus Abul-Valid Ibn-Dschahvar successit. Non secus ac pater nomen regis spernens re vera eadem potentia, qua ceteri reges parvarum ex regno Omaijadico ortarum civitatum res civitatis Cordubensis suo arbitrio gessit.

---

[1]) Ibnul-Abbar (ed. Dozy, Notices sur quelques manuscrits Arabes, pg. 132—7, 168—72).

[2]) L. L pg. 186.

[3]) Dozy, Gesch. der Mauren, II, 220—35.

Abul-Hazm Ibn-Dschahvaro Cordubae regnante Ibn-Zaidun majores partes agere coepit. Pater ejus erat magna auctoritate in civitate Cordubensi. Ibn-Baschkuval[1]) eum inter viros celeberrimos doctissimos numerat traditque, eum Elvirae anno 405 (1014—5) mortuum Cordubae sepultum esse. Eo tempore filius ejus, Abul-Valid Ibn-Zaidun admodum puer erat. De adolescentia ejus nihil cognovimus, sed ex curriculo vitae ejus satis apparet, eum omni doctrina sui temporis imbutum fuisse. Ibn-Bassam[2]) eum maximis lau-

---

[1]) Aben Pascualis, ed. Codera, Nr. 570. Ibn-Challikan, transl. by Slane, I, 125.

[2]) Antiquissimus fons vitae Ibn-Zaiduni est liber Al-Dzachira inscriptus, quem Ibn-Bassam († 542 [1147] v. Dozy, Historia Abbadidarum, II, 258) 500 fere anno scripsit. Vitae Ibn-Zaiduni, Valladae ejusque patris Mustakfi Billahi exstant in primo volumine olim Mohlii, nunc in bibliotheca nationali Parisina asservato. Codex, ut jam Dozy (Hist. Abbad III, 38) docuit, satis mendosus est, neque credo ex eo solo textum modo tolerabilem constitui posse. Nihilo minus magni momenti est mihique quoque in vita Ibn-Zaiduni scribenda et epistola ejus ad Ibn-Dschahvarum scripta edenda utilis fuit, quamquam per breve modo tempus eo uti potui. Scriptores posteri Arabes opere Ibn-Bassami usi sunt et eo multo magis uti debuerunt. Ibn-Challikan (Vies des hommes illustres, ed. Slane, I, 63) maximam partem vitae Ibn-Zaiduni descripsit ex Al Dzachira, quem librum etiam laudat. Narratio inde ab كان ابو الوليد usque ad المعانى omnibus iisdem verbis legitur apud Ibn-Bassamum initio vitae Ibn-Zaiduni (cod. Par. 87 v.). Post haec verba Ibn-Challikan non pauca omisit. Verba quae sequuntur: وكان ابو الوليد من ابناء وجوه الفقهاء بقرطبة وبرع ادبه وجاد شعره وعلا شانه وانطلق لسانه extant in cod. Par. (88 r.), ubi tamen inter verba, quae sunt بقرطبة et وبرع, inserta sunt: فى ايام الجمعة والفتنة (Cfr. Dozy, Supplément aux lexiques arabes. I, 215, II.). Haec verba etiam Aç-Çafadi omisit (cod. Par. Supplément Arabe 1504, 3 r.). Ibn-Chall. (pg. 63) post للنجوم لا verbum الزهر, quod exstat apud Ibn-Bassamum, omisit.

Etiam interpretes epistolarum Ibn-Zaiduni, Aç-Çafadi et Ibn-Nubatah librum Ibn-Bassami laudant (Aç-Çafadi (1504, 3 r.): اثنى (Ibn-Zaidun) عليه ابن بسام فى الذخيرة. — Ibn-Nubatah (Dozy, cat. cod. I, 242): حكى ابن بسام فى كتاب الذخيرة). Celeberrimus scriptor Ibn-Chaqan, qui eodem tempore quo Ibn-Bassam

dibus effert. „Abul-Valid", scribit Ibn-Bassam (87 v.; cfr. Ibn-Challikan, ed. Slane, pg. 63, transl. by Slane, I, 123), „erat columen artis poeticae et prosae orationis, quo nihil majus, sigillum poetarum Machzumitarum. Omnia ei erant dona optima fortunae, hominesque universos superavit. Vi sua et ad laudandum et ad vituperandum usus est; ars rhetorica ejus et poemata et prosam orationem scribentis conjuncta erat cum doctrina, quae mare profunditate, lunam splendore superabat sq.".

Inter nobilissimos Cordubenses versabatur Ibn-Zaidun,

---

vixit, Al-Dzachiram nunquam laudat, sed multa ex hoc libro suo modo in usum suum vertit. Dozy jam multis annis ante scripsit (Hist. Abbad. I, 214): „Et quidni talibus nominibus (inhonesti, impudentis) vocaremus hominem (ɔ: Ibn-Chaqanum), qui ea quae ante eum scripserat Ibn-Bassam sexcenties pro suis venditavit, nunquam vero nominato auctore, de quo ne verbum quidem in Ibn-Chaqani operibus? . . . . Monere sufficiat, eum integra fere interdum capita ex hoc scriptore descripsisse". Exemplum adjungam parvum illud quidem, sed quod satis demonstret, quam diligenter Ibn-Chaqan perlegerit librum Ibn-Bassami eoque abusus sit. Initio vitae Ibn-Zaiduni ab Ibn-Bassamo scriptae legitur (87 v.): لمّا خلص ابن عبد البر من يد عبّاد خلوص الفرزدق من يد زياد.

Hanc sententiam Ibn-Chaqan memoria retinens non in vita Ibn-Zaiduni, sed in vita Ibn Abdul-Barri posuit (Ed. Qahirensis libri Qalajid-ul-Iqjan, pg. 180) verbis mutatis, sed tamen ita, ut sententia Ibn-Bassami facile cognoscatur. Ibn-Chaqan, ut erat scriptor elegantior Ibn-Bassamo, pro prima quinta utens forma verbi خلص scripsit: وتخلص من يديه تخلّص البدر من السرار: Is (ɔ: Ibn-Abdul-Bar) e manibus ejus (ɔ: ,Mutadhidi regis Sevillae, qui Ibn Abdul-Barrum male tractavit, quam ob rem fugit) elapsus est ut luna ultimo die mensis".

Ibn-Bassam quae narrat maxime e libris Ibn-Haijani, scriptoris egregii hausit, alia ex testibus rerum audiverat, quippe qui ex urbe natali ejectus huc illuc errans Cordubae et postea Sevillae moratus est, in quibus urbibus Ibn-Zaidun partes primas egerat. [Ex verbis Al-Dzachirae, quae Dozy (Hist. Abb. III, 36) laudat: وانا يومئذ بقرطبة سنة ٩٣, apparet, Dozyum non recte intellexisse verba, quae sunt (Hist. Abb. I, 193): كنتُ بحضرة قرطبة اوّل سفرى اليها سنة اربع وتسعين quasi Ibn-Bassam 494. anno demum Cordubam venisset; jam anno ante eo venerat].

quem etiam celeberrima femina e stirpe ipsorum chalifarum Omaijadarum sata, Vallada amabat. Vallada erat filia chalifae Al-Mustakfi Billahi dicti [1]), qui ante diem XV Calendas Februarias anno 1024 regno Cordubensi potitus sedecim menses regnavit [2]) brevique tempore post interfectus est. Filia rudis et inculti viri, „Sappho sui temporis", omnium consensu omni doctrina imbuta in numero doctissimarum illius temporis feminarum habebatur. Scriptores ingenium ejus ad excogitandum acutum, animi praesentiam, sollertiam laudant, carmina ejus extollunt, facete dicta citant. Domus ejus erat conciliabulum omnium virorum, qui artes liberales colebant, omnesque ut eo admitterentur studebant. „Celeberrimi poetae et scriptores desiderio ejus societatis moriebantur", ut Ibn-Bassam dicit [3]). Non paucae feminae Hispaniae Arabicae maxime eo tempore, de quo hic agitur, litteris studebant [4]), sed nulla cum Vallada doctrina et fama comparanda est. Pauci versus Valladae adhuc servati demonstrare videntur, eam epigrammatis scribendis excelluisse. Illius societatis, in qua Vallada et Ibn-Zaidun versabantur, ejusque morum imago expressa est in versibus, quos Vallada acu in sua veste pinxit. In altera parte picturae haec erant: „Per Deum! Ego ad maxima apta sum, meam sequor viam, magnos gerens spiritus incedo".

In altera parte:

---

[1]) Ibn-Bassam (I, 113 v.): وامّا ولادة . . . فانها بنت محمد بن عبد الرحمن الناصر

Aben Pascuale (ed. Codera, II, 632) ولادة بنت المستكفى بالله محمد بن عبد الرحمن بن عبيد الله بن الناصر عبد الرحمن

Al-Maqqari (II, 563): ولادة بنت المستكفى بالله بن محمد محمد بن عبد الرحمن بن عبيد الله بن الناصر

[2]) Dozy, Gesch. II, 218—19.

[3]) 113 v. Initium vitae Valladae ab Ibn-Bassamo scriptae paucis mutatis aut additis apud Al-Maqqarium (II, 565) legitur. Cfr. Aç-Çafadium (Dozy, Cat. I. 248) et Aben Pascuale (ed. Codera II, 632).

[4]) Cfr. Prolegomena Dugati in editionem Leidensem libri Al-Maqqarii (pg. LXXXVIII).

„Amatorem compotem facio genarum mearum osculumque petenti do“[1]).

„Nihilo minus“, post hos versus Al-Maqqari[2]) addit, „ejus virtus et modestia omnibus notae erant“, sed aequales Valladae sine dubio aliter judicabant, nam Ibn-Baschkuval in loco, quem laudat Al-Maqqari[3]), palam dicit, mores Valladae offensione non vacasse, quippe cui fama non parceret, eamque voluptati deditam fuisse. Erat certe femina, ut nos dicimus, emancipata, sed et ingenio et majoribus splendida. Principes jam vidimus litterarum de ejus amicitia certasse, inter quos aemulos longe superabat celeberrimus Ibn-*Z*aidun. Poeta ingeniosus et facetus feminam nobilem iisdem artibus excellentem amabat, ipse ab ea amabatur.

Subito mala in poetam irruerunt. Ibn-Zaidun, gratia Abul-Hazm Ibn-Dschahvari amissa, in carcerem conjectus est. Quo modo et quo tempore hoc factum sit, non satis constat. Weijers, cujus opus de vita Ibn-Zaiduni morte abruptum est, in libro manuscripto, qui in bibliotheca Leidensi asservatur[4]), narrat Ibn-Zaidunum anno circiter 420. (1029) in carcerem fuisse conjectum jussu regis Omaijadae. „Tum ergo et ante tricesimum annum aetatis ejus hoc factum est, et Ibn-Djahwar nondum Rex erat: ergo hunc ut maxima auctoritate virum rogavit ut pro se intercederet. Quibus tamen precibus neglectis ob alienatum in se animum, ille fuga salutem petiit, postquam 500 dies (nondum 1½ annum) in carcere degit, antequam adhuc Ibn-Djahwar ad regnum pervenerat, et tum quidem huc illuc oberravit, continenter exagitatus annos 20, ad annum usque 441., quo Hispalin pervenit, regnante Aboulwalido ben Djahwar Cordobae, et Motadhedo Hispali“.

Dozy recte demonstravit, magistrum suum in multos

---

¹) Ibn-Bassam 113 v.; Al-Maqqari, II, 563; Dozy, Cat. I, 249.

²) L. L.

³) II, 565.

⁴) Dozy, Cat. I, 257—58.

errores incidisse, quod crederet, Ibn-Dschahvarum unquam regem fuisse; vereor, ne vir doctissimus plura corrigenda reliquerit.

Cl. vir comes Adolf Friedrich v. Schack in opere suo, quod inscribitur „Poesie und Kunst der Araber in Spanien und Sicilien“, maxime Weijersium et Dozyum secutus haec scripsit (2. ed. I, 284): „Von dem Leben dieses Mannes wissen wir, dass er, um 1003 geboren, durch seine hervorragenden Talente schon in jungen Jahren zu einflussreicher Stellung bei Ibn-Dschahwar gelangte, welcher nach dem Sturze des letzten Omaijaden, bei dem er Siegelbewahrer gewesen, als Vorsteher des Senats und Heerführer die oberste Gewalt in Corduba ausübte. Während längere Zeit dessen intimstes Vertrauen besitzend und mit Gesandtschaften an verschiedene der kleinen Höfe Andalusiens beauftragt, konnte er den Blicken der Neider nicht entgehen. Diesen gelang es endlich seinen Sturz herbeizuführen. Die näheren Umstände, unter welchen er in Ungnade fiel, werden nicht berichtet, doch kann man mit Wahrscheinlichkeit annehmen, dass sein Liebesverhältniss zu der schönen und geistvollen Wallada den Anlass dazu gab. Diese omaijadische Prinzessin, eine Freundin der Dichtkunst und selbst wegen ihrer Verse berühmt, zog den Ibn-Zeidun allen ihren anderen Verehrern vor, und ein Nebenbuhler rächte sich an den Begünstigten durch Verläumdungen, die bei seinem Gebieter Eingang fanden. Der früher so mächtige Günstling wurde eingekerkert und suchte vergebens durch die Vermittlung eines Freundes die Gunst des Ibn Dschahwar wieder zu gewinnen; es gelang ihm jedoch, aus dem Gefängniss zu entkommen und, nachdem er sich noch eine Zeitlang in Cordova versteckt gehalten, floh er nach dem westlichen Theile von Andalusien. Die Sehnsucht nach seiner Wallada und der Wunsch, in deren Nähe zu sein, trieb in indessen bald wieder nach Az-Zahra, dem halbzerstörten Lustsitze der Omaijaden bei Cordova, wo er die Geliebte insgeheim zu sehen hoffen durfte. Weiter irrte er längere Zeit durch verschiedene Gegenden

Spaniens, bis er, am Hofe Al-Motadids huldvoll aufgenommen und, mit dem Vertrauen dieses Fürsten beehrt, seinen dauernden Wohnsitz in Sevilla nahm. Er starb in Jahre 1071".

Et Weijers et Dozy et comes Schack fontium culpa in errores inducti sunt, sed de hac re postea dicemus. Satis constat, Ibn-Zaidunum ab Abul-Hazm Ibn-Dschavharo in carcerem conjectum esse; quae causa fuërit, pro certo dicere non possumus. Quae de hac re Ibn-Chaqan in opere suo celeberrimo Qalaijid-ul Iqjan inscripto tradit, fere haec sunt:

1) Pg. 64—66 in opere Weijersii quod inscribitur: Specimen criticum exhibens locos Ibn-Khacanis de Ibn-Zeiduno: „Et intercedebat ei (ɔ: Ibn-Zaiduno) cum Aboulwalîdo ben Djahwar familiaris consuetudo . . . donec accidit ei persecutio, quae tandem ad vincula devenire eum fecit [1]), et facultatem ei ademit libere pedes jactandi et velociter quo vellet incedendi. Tum deprecatum confugit ad Aboulwalidum, et conciliare animum ejus studuit, et petiit ab eo, ut repelleret cuspides istas hastasque intentas; at ille non flexit ad eum habenas benevolentiae suae, neque avertit ab eo cursum incitatum mutatae mentis suae; quare pro sua ipse salute artem struxit, quâ clam se surripuit e carcere suo . . . .et noctu Sevillam tetendit" [2]).

2) Weijers pg. 21 et 71—72:

* يا قمرا مَطلعُه المَغرب *
* قد ضاق لى فى حبّك المَذْهَبُ *
* أَلزمتنى الذنب الذى جئتُه *
* صدقتُ فآصفعْ ايها المُذنبُ *
* وانّ من أَغرب ما مرّ بى *
* انّ عَذابى فيك مُسْتعذَبُ *[3]).

[1]) Quae Weijers (in nota 226) disputavit, utrum Ibn-Zaidun in vincula an in carcerem modo conjectus fuerit, mihi nullius momenti esse videntur.

[2]) Ibn-Chaqan duas confudit res, sed quo modo haec se habeant, postea videbimus,

[3]) السريع metrum est.

O Luna, cui locus ortus est Occidens!
Via mihi in amore tuo angusta fuit[1]).
Tu mihi imperasti delictum, ad quod deveni.
Ego sincerus fui; quare ignosce, tu, qui delicti auctor es!
Sane enim inter maxima mira, quae mihi obvenissent, hoc foret,
Quod poena mea apud te pro re grata haberetur[2]).

3) Iterum aliis versibus (Weijers, pg. 75) Ibn-Zaidun causam malorum suorum caute attingit:

(Ego memoria temporis Cordubae acti laetor), acsi tempore festi in Schahda rixae amantium non adfuerim, unde judicium factum est[3]) — pugnae, cujus causa erat falsa criminatio, quamvis intercederet inter nos arbiter obsequiosus, qui pacem firmaret".

4) Deinde Ibn-Chaqan (Weijers, pg. 85 sqq.) tradit, Ibn-Zaidunum, postquam aliquamdiu degisset in occidentali tractu isto et solutus esset nodus patientiae ejus per animi moe-

---

[1]) Weijers pro لي legit بي et vertit: „angorem mihi concitavit ratio, quam in amore tuo instituisti".

[2]) Weijers sic vertit: „coëgisti me ad hoc (expostulandi) crimen, ad quod deveni". Verbum „expostulandi", unculis inclusum, omisi; credo enim de ipso crimine agi, et toto carmine significari, Valladae causa Ibn-Zaidunum in mala incidisse Weijers autem hos versus sic explicat (n. 27): „De sententia autem versuum, dicit poeta, se de ejus, quam appellat, fide et constantia, quod negligentior in ipsum esse coepisset, in anxiam dubitationem adductum esse, itaque ad hanc expostulationem coactum, quam licet ipse criminis loco habendam fateatur, non dubitare se tamen, quin illa condonatura esset".

Weijers (l. l.) scribit: „fieri potest, ut poeta his versibus Valladam appellaverit"; qua de re ego non dubito. Versus fortasse scripti sunt, quum Ibn-Zaidun circum Cordubam erraret, ut amatam videret, et opinor, Valladam versibus respondisse, qui apud Ibn-Chaqanum illos sequuntur. „Valedicito" sqq. (Weijers, pg. 72). Ibn-Chaqan, quem auctorem Schack (I, 289, 4) secutus est, certe dicit, his versibus („valedicito" sqq.) Ibn-Zaidunum amicum allocutum esse (Ibn-Challiqan quoque (ed. Slane, pg. 63) versus Ibn-Zaiduno adscribit), sed apud Maqqarium (II, 564) ad Valladam referuntur:

ولمّا ارادَتْ الانصراف ودّعته بهذه الابيات ودّع الصبر الخ

[3]) Weijers aliter vertit.

rorem, Az-Zahram revertisse, ut in tractibus ejus lateret, litteras ad Valladam, desiderio ejus captum, scripsisse, eam objurgantem, quod negligeret eum visitare. In media calamitate sua (Weijers, pg. 94), „quum negligeret Abul-Hazm eum liberare angustia sua", cum eo conquestus est in carmine, in quo affirmat, vel prudentiam rationemque suam se ab eo, cujus delator se arguat, prohibere.

5) Ex carcere carmen (Weijers, pg. 97) misit Abu-Hafs Ibn-Burdo[1]), in quo (pg. 102) queritur de „agmine sociorum, qui perfide violant pactum datamque fidem fallunt".

6) Apud Ibn-Chaqanum sequitur carmen, quod Weijers non edidit (de hac re vid. ejus Spec. pg. 32 an. b), postea ab Dozyo (Cat. cod. I, 251—53) editum (versio Gallica ab Dozyo (l. l. 258) nunquam prodiit), in quo Valladam de amore juventutis monet eamque rogat, ut pro se apud Abul-Hazmum intercedat[2]).

---

[1]) Abu Hafs Ahmad Ibn-Burd, vezirus Abdur-Rahmani, filii magni Al-mançuri, poeta insignis erat (Al-Maqqari, I, 277—78, II, 367. Dozy, Geschichte, II, 166).

[2]) Dozyum hic in parvum errorem incidisse, credo. Ait enim (Cat. I, 258) ex fine versus sexti patere, Ibn-Zaidunum, quum hoc carmen in carcere scriberet, jam fere senem fuisse. Hoc autem non credo ex hoc carmine effici posse. Dicit enim Ibn-Zaidun in vers. 6—7 (Dozy, l. l. pg. 252): (metrum est البسيط)

* لم يَطْوِ بُرْدَ شبابى كبرةٌ وأرى *
* برق المشيب اعتلى فى عارض الشعر *
* قبل الثلاثين اذ عهدُ الصبى كثب *
* وللشبيبة غصن غير مهتصر *

Certe senectus nondum vestem juventutis meae plicuit, etsi signum fulminis, quo summi crines albescunt, in me est.

Ante triginta annos juventus nondum remota erat, ramusque juventutis tum nondum fractus.

Poeta certe vult dicere, se etiamnunc, etsi plus quam triginta annos natus esset, vigere, sed ante tempus crines suos albescere. Quod postea in versu 17. dicit, se ad senectutem propius venisse, contra haec nihil efficit, praesertim quum fieri non potuerit, ut Ibn-Zaidun

7) Ibn-Chaqan carmen laudat, de cujus origine haec tradit (Weijers pg. 39 et · 133 34): Atque illius (ɔ: Ibn-Zaiduni) est hoc carmen, quo, quum effugisset (e carcere) et complevisset dies infortunii sui, dum clam commorabatur Cordubae, appellavit Valladam, et excitavit virum litteratum Abu-Becrum Ben-Allobana ad intercedendum (pro ipso) et flectere studuit Abul-Hazmum Ben-Dschahvar. Recte Weijers (pg. 133, n. 203) admonet, Aç-Çafadium carmen laudare ut ultimam partem epistolae Ibn-Zaiduni ad virum quendam doctum, cui nomen erat Abu-Bekri, minus recte dicit, „constare" hoc carmen anno 441. (1049—50) scriptum esse. Vir. cl. eo nititur, quod Ibn-Challikan et Aç-Çafadi testantur, Ibn-Zaidunum anno 441 Sevillam ad Mutadhidum venisse; hoc quod ex ipso Ibn-Bassamo (cod. Par. 88 r.) originem ducit, recte se habet, sed postea demonstrabo, captivitatem et fugam in carmine commemoratas ab rebus anni 441. longe alienas esse, neque fieri potuit, ut anno 441. Ibn-Zaidun flectere studeret Abul-Hazmum, tum jam ante sex annos mortuum.

Quum in illa epistola et in carmine ei adjecto Ibn-Zaidun ipse suas calamitates commemoret, et totum eorum argumentum cum epistola ejus ad Ibn-Dschahvarum scripta arte cohaereat, epistolam textu, quem jam ante multos annos Dozy[1]) edidit, adjecto, Latine vertam — carmen de Sacy[2]) vertit. Aç-Çafadi haec narrat:

„fere senex" ad Abul-Hazmum scriberet, qui Ibn-Zaiduno XL modo annos nato mortuus est (1043). Quae hic dixi, probantur versu, quem Ibn-Zaidun post fugam suam scripsit (Weijers, pg. 41 et 140; de Sacy, Nouv. Journ. asiat, XII, 508—9):

* هرمتُ وما للشيب وَخْطٌ بمفرقى *

* ولكن لشَيْب الهَمّ فى كبدى وخط *

Consenui, nec quidem propter senectutem in vertice meo est albicantium capillorum mistura;

Sed ob curas in corde meo haec facta est mistura.

[1]) Cat. Cod. I, 246—48.

[2]) Nouveau Journal asiatique, XII, 503—13

وكتب الى بعض اصحابه وهو الاديب ابو بكر مسلم لما اختفى بقرطبة بعد فراره رسالة يعتذر فيها عن فراره وهى فى غاية الحسن لو لا خوف من التطويل كان لا باس بذكرها ونشر نشرها وذرّ دُرّها وهذه فلذة منها ابْدأُ اولاً بشرح الضرورة الحافزة الى ما صنعتُ اذ بلغنى انك احد اللائمين لى ومَنْ امثالهم هانَ على الاملس ما لاقَى الدّبر وأُعاتِبُك على انفصالك عَنّى وَتَبَراءتِك أَمَدَ المِحْنة مِنّى عسى ان تتلافى عودًا ما أَضَعْتَ بَدْءًا وان كنت فى ذلك كدابغةٍ وقد حَلِمَ الاديمُ فمنفعة الغوث قَبْلَ العَطَب وفى علمك انى سُجنت مغالبة بالهوى وهو اخو العمى وقد نهى عنه تعالى فقال ولا تتّبع الهوى فيُضِلّك عن سبيل الله الاية وشهد علىّ فلان الناشر لأُذُنَيْه طمعًا لياكل بيَدَيْه جَشَعًا وقال فكان القول ما قالت حذام ونيتنى مع قبول من لا تحلّ شهادته علىّ يُعْذَر فيه الىّ ولم يُقرَنْ الحشف بسوء الكيلة وكنتُ أَوَّلَ حبسى بموضع جرت العادة فيه بوضع مَسْتُورى الناس وذوى الهيأات منهم وفى الشرِّ خيارٌ وبعضه أَهْوَنُ من بَعْضٍ ثم نُقِلْتُ بعدُ الى حيث الجُنَاةُ المفسدون واللصوص المقيَّدون ومُنِع منى عوّادى فشكوتُ الى الحاكم الحابس لى فَصَمَّ عَنّي ولو ذاتُ السِّوار لطمَتْنى

* وانك لم يفخر عليك كفاخرٍ *

* ضعيف ولم يغلبك مثل مغلَّبِ *

ولم استطع صبرًا وعلمتُ ان العاجز من لا يستبدّ فالمرءُ يعجز

لا المحالة ولم استجز ان اكون ثالثَ الأَذَلَّين العَير والوتدِ وذكرتُ ان الفرار من الظلم والهرب ممن لا يطاق من سنن المرسلين وقد قال تعالى على لسان موسى ففررت منكم لمّا خِفتُكم فنظرت فى مفارقة الوطن اذ قديمًا ضاع الفاضل فى وطنه وكسد العِلقُ العبيط فى مَعْدنه كما قال

* اضيع فى معشرى وكم بلدٍ *

* يعدُّ عُود الكباء من حَطَبه *

فاستخرتُ الله تعالى فى انفاذ العزم وانا آلآن بحَيْث امنتُ بعض الامن الا ان السّعْىَ لَم يَقَع ومَادَّة البغى لم تنقطع وختم هذه الرسالة بقصيدة

„Ad collegam suum quendam, virum literis imbutum, cui nomen erat Abu Bekr Muslimi, quum Cordubae post fugam suam occultum se contineret, epistolam scripsit, in qua se de fuga excusavit; haec epistola pulcherrima est. Nisi timerem, ne longior essem, libenter eam commemorans venustatem ejus patefacerem et uniones ejus spargerem. Ecce aliqua ex ea sumpta: „Duram necessitatem, quae me coegit ut ea, quae feci, facerem, explicare incipiam, quum cognovero, te inter eos esse, qui me vituperent. Proverbium est: camelo sano leve videtur, quod premit camelum, cujus dorsum fractum est[1]). Te reprehendo, quod me reliqvisti, et a me in rebus dubiis te avertisti. Sed fortasse rem, cujus initium perdidisti, resarcire potes. Etsi hoc faciens talis es, qui pellem, quae vermibus corrupta est, concinnare velit[2]), tamen viro utile est auxilium, antequam summer-

[1]) Freytag, Pr. II, pg. 868.
[2]) Freytag, Pr. II, pg. 346.

gatur. Tibi notum est, me in vincula conjectum esse amoris causa, qui frater caecitatis est, quemque Deus vetuit his verbis: „ne amorem secutus sis, qui te a via Dei avertere possit“ [1]). Et contra me testimonium dixit quidam his verbis: „qui ad aures suas appetitum admittit, suis manibus aviditatem edet“ [2]); dixit, et verba ejus erant ut Hadzamiae [3]) [vera]. Utinam ego excusari possem eo, quod tu accepisti testimonium ejus, qui in me testimonium dicere non debuisset; nam pessimi dactyli cum pravo mensurandi modo non conjunguntur [4]). Primo tempore captivitatis meae locum habitavi, ubi plerumque viri insignes et spectabiles includebantur — inter mala eligendum est, alia aliis faciliora sunt — deinde translatus sum, quo scelesti turbulenti et fures catenis vincti deportantur. Visitatores a me videndo prohibiti sunt. Apud judicem, qui me in carcerem conjecerat, questus sum, sed mihi surdus erat. Si femina armillis praedita mihi alapam duxisset [5]) —!

„Te autem non subigit vir debilis, neque te vincit victi similis“ [6]).

Hoc non patior! Certe scio, virum, quem nemo sustinet, debilem esse, sed vir modo debilis est, ingenium ejus non debile est. Neque sinam, me ad duos viles, asinum et paxillum, tertium accedere [7]). Memini, legatos quoque Dei ab in-

---

1) Al-Qur. 38, 25.
2) Cfr. Freytagii Pr. II, pg. 764. Verba significant, avidum malis affici.
3) Freytag, Pr. I, pg. 321 – 22 et II, pg. 265.
4) Cfr Pr. Freytagii, I, pg. 368.
5) Freytag, Pr. II, 405.
6) Versus Imrul-Qaisi (Slane, Diwan d'Amrolkais, pg. 28 v. 14. text. Ar).
7) Ibn-Zaidun hic spectat versum (Freytag, Pr. I, pg 512) poetae Almutalammesi (البسيط):

* ولا يُقيمُ بدارِ الذُلِّ يَعْرِفُها *

* الّا الأذلّان عيرُ الاهلِ والوتدُ *

juria fugere et ab iis, qui flecti non possent, decedere consuetos esse. Deus per linguam Mosis dixit: „Ab vobis aufugi, quum vos timerem“ [1]). Et quod attinet ad domum relinquendam, hoc consideravi: jam ab antiquo vir praestans in domo sua periit, et divitiae integrae in metallis remanserunt, ita ut dicit poeta:

„In populo meo peribo, et quam multae terrae aloes se satis habere ad comburendum putant“?

Deum, ut meum propositum adjuvaret, precatus nunc salvus sum, nisi quod delationes non quiescunt et accumulatio injuriae in me non desinit. — Haec epistola in casidam desinit [2]).

In hac casida multis precibus Ibn-Zaidun ab Abu-Bekro petit, ut pro se apud principem civitatis intercedat et efficiat, ut ex exilio revocetur.

Etsi non satis exploratum habemus, quam ob rem Abul-Hazm Ibn-Zaidunum in vincula conjecerit, ex locis laudatis satis apparet, de amore agi. Ibn-Zaidun fere ut alter Ovidius queritur: „cur lumina obnoxia feci?“ „Tibi notum est“, ad Abu-Bekrum scribit (h. l. pg. 17), „me in vincula conjectum esse amoris causa“, iterum iterumque „agmen sociorum, qui perfide violant pactum datamque fidem fallunt“ (Weijers, 102), „falsam criminationem“ (Weijers, 75), „delatores“ (Weijers, 96, 123; in fine epistolae ad Abu-Bekrum scriptae) increpat. Sed quid delatores detulerint, nescimus. Ad alium Valladam suum vertisse amorem et Ibn-Zaidunum omnium rerum inhonestarum accusasse, scimus, sed haec credo ad aliud tempus pertinere. Eo tempore, de quo hic loquimur, Ibn-Zaidun in

„Et non permanent in domo vilitatis, quam noscunt, nisi duo viles, asinus gentis et paxillus“.

Proverbia sunt (Freytag, I, pg. 511): „vilior quam paxillus in campo“ et „vilior quam asinus compedibus vinctus“. Cfr. proverbium, quod est (Freytag, II, pg. 87): „asinus, quem perdidit paxillus suus“, quippe qui asinum retineret, quum ferae irruerent.

[1]) Al-Quran, 26, 20.

[2]) Nouveau Journal asiatique, Bd. XII (1833), pg. 500—18.

carcere inclusus Valladam, ut pro se intercederet, obtestatus est, et ex carcere quum fugisset, eam, ut ad se veniret, hortabatur. Num pro eo Vallada intercesserit et cum eo convenerit, non constat. Ex versibus Ibn-Zaiduni (Weijers, 119—23) satis apparet, Valladam clam Ibn-Zaidunum adiisse, sed credo, hos versus tempus, quo Ibn-Zaidun nondum in carcere inclusus esset spectare. Jam verba, quae sunt „delator tuus dormit" (Weijers, 123), suspicionem ejus rei movent, quippe quum poeta semper queratur, delatores se perdidisse, sed eo quoque nitor, quod Ibn-Zaidun, quum in locis Cordubae propinquis se occultum haberet, carminibus a Vallada, ut pro se intercederet, petivisse videtur (Weijers, 133), quod certe poetae non opus fuisset, si eam saepius vidisset. Suspicor, Valladam et Ibn-Zaidunum coactos fuisse, ut amorem suum occultarent, et Ibn-Zaidunum in odium Abul-Hazmi venisse, quod „delatores" detulissent, Ibn-Zaidunum et Valladam clam inter se congredi — nam Vallada erat „criminis auctor" (Weijers 71). Quum ne significetur quidem, Abul-Hazmum ipsum Valladam amasse et eam ob rem poetam ut aemulum suum odisse, veri simile est, Abul-Hazmum omnes timuisse, qui cum filia chalifae mortui convenirent, et cavisse, ne Ibn-Zaidun a regia virgine iisque, qui etiam tum partibus Omaijadarum faverent, adjutus res novas ageret. Suspicor, Abul-Hazmo poetam etiam ob amicitiam inter eum et heredem Abul-Hazmi, Abul-Validum suspectum fuisse.

Scriptores hodierni temporis, qui adhuc res vitamque Ibn-Zaiduni tractaverunt, omnes dicunt, poetam ab Abul-Hazmo in carcerem conjectum Sevillam post multos errores fugisse, fontes adhuc notos maxime Ibn-Chaqanum secuti. Sed jam in his fontibus erant, quae suspicionem movere possent; quum enim etiam post fugam suam Ibn-Zaidun Valladae amator esset, difficile erat intellectu, quo modo inimicitiae inter eos ortae essent, si numquam Cordubam rediisset poeta. Ad haec fortasse responderi potuit, amorem Valladae sensim evanuisse, et amorem facile in odium verti. Sed quo

modo explicari possunt verba Ibn-Nubatae, quae sunt (Dozy, Cat. cod. I, 242 textum edidit):

„Vezirus Abul-Valid Ahmad Ibn-Abdallah Ibn-Ghalib Ibn-Zaidun Machzumites ex Andalusia ortus, katib, poeta celeberrimus Cordubae anno 394 natus est... Propenso animo erat in Abul-Valid Ibn-Dschahvarum, unum e regibus[1]) parvis, qui Andalusia potiti erant, cui erat acceptus cujusque regnum in manibus ejus erat. Fama ejus (ɔ: Ibn-Zaiduni) divulgata erat, et Abul-Valid eo confidebat in rationibus, quae ei cum aliis regibus Andalusiae intercedebant. Admirationem populi sui excitabat, qui eum fautorem volebat, quippe in quo animi virtus moresque integri essent. Factum est, ut Ibn-Dschahvar eum rei alicujus accusatum in carcerem conjiceret. Quum Ibn-Zaidun eum epistolis egregiis et poematis sibi conciliare studuisset, sed nihil effecisset, fugiens ad Abbadidam Ibn-Muhammedum, regem Sevillae, cui cognomen Al-Mutadhidi erat, se contulit.“

Aç-Çafadi, ut Dozy (I, 246) notat, fere eadem atque Ibn-Nubata refert, sed Abul-Validum non significans modo Ibn-Dschahvarum nominat. Quum Dozy initium vitae Ibn-Zaiduni, quam Aç-Çafadi conscripsit, omiserit, textum ex cod. Par. 1504 (3 r. — 3 v.) et cod. Leid. (pg. 3) una cum versione edam:

هو ذو الوزارتين الكاتب المجيد المفيد الناظم الناثر البليغ المفوّه اللسان ابو الوليد احمد بن عبد الله بن احمد بن غالب ابن زيدون المخزومى الاندلسى القرطبى اثنى عليه ابن بسام فى الذخيرة وابن خاقان فى قلايد العقيان وكان من ابناء وجوه الفقهاء بقرطبة برع ادبه وجاد شعره وغلا شانه وانطلق لسانه وخفق بيانه ثم انه انتقل من قرطبة الى المعتضد بن عباد صاحب اشبيلية سنة احدى واربعين واربعماية[2]) فجعله من خواصه يجالسه فى خلواته

[1]) Abul Valid non secus ac pater nomine quidem primus civis rei publicae Cordubensis erat, re vera rex.

[2]) In Cod. Leid. plene scriptum.

ويركن الى اشاراته وكان معه فى صورة وزير وكان اولا قد انقطع الى ابن جهور احد ملوك الطوائف المتغلبين بالاندلس فخفّ عليه وتمكن منه واعتمد عليه فى السفارة بينه وبين ملوك الاندلس فاعجب القوم به وتمنوا ميله اليهم لبراعته وحسن سيرته فاتفق ان نقم ابن جهور على ابن زيدون فحبسه فاستعطفه ابن زيدون رحمه الله تع بهذه الرسالة وبامثال من فنون النظم والنثر فما اجدى ذلك عليه شيا ففرّ من محبسه لمّا أعياه التخلص واتصل بعد ذلك بابن عباد كما تقدم[1]

„Is erat Dzul-Veziratain, katib praestans utilis, scriptor et prosae orationis et poematum, eloquens, profusus lingua Abul-Valid Ahmad Ibn-Abdallah Ibn-Ahmad Ibn-Ghalib Ibn-Zaidun Machzumites ex Andalusia ortus, Cordubensis, quem laudant Ibn-Bassam in libro Al-Dzachira dicto et Ibn-Chaqan in Qalaijid-ul-Iqjano. Erat inter principes jurisconsultorum Cordubae; doctrina ejus eminebat, carmina optima erant, fama omnibus antecellebat, lingua facunditate excelluit, eloquentia fulgurabat. Postea discessit Corduba ad Al-Mutadhidum Abbadidam, dominum Sevillae, anno 441, qui eum inter familiares suos adscivit, ut solus cum eo esset, et consiliis ejus confisus est. Ejus vezirus Ibn-Zaidun erat, qui antea se Ibn Dschahvaro, uni e regulis, qui Andalusia potiti erant, applicaverat, cui acceptus erat, et apud quem multum valebat. Is Ibn-Zaiduno confidebat in rationibus, quae ei cum aliis regibus Andalusiae intercedebant. Admirationem populi sui Ibn-Zaidun excitavit, ita ut eum fautorem vellent, quippe in quo animi virtus moresque integri essent. Factum est, ut Ibn-Dschahvar eum accusatum in carcerem conjiceret. Ibn-Zaidun eum sibi conciliare studuit hac epistola[2]) et si-

---

[1]) Post haec sequuntur, quae Dozy (l. l.) edidit: وكتب الى بعض الخ

[2]) Epistola, quam in hoc libro edidi.

milibus in prosa oratione scriptis et poematis, quae quum ei nihil profuissent, ex carcere rebus fatigatus fugiens se, ut supra dixi, ad Ibn-Abbadum contulit".

Aç-Çafadi praenomen Ibn-Dschahvari non nominat, sed quae narrat una cum verbis Ibn-Nubatae nos docent, Ibn-Zaidunum fuisse vezirum Abul-Validi, filii et heredis Abul-Hazmi, sed postea ei quoque in odium venisse. Haec res et Weijersium et Dozyum fugit. Opinari liceret Ibn-Nubatam Abul-Validum cum patre confudisse, nisi textus, quem hic primum edam, Ibn-Bassami (Cod. Par. 88 r.) ostenderet Ibn-Nubatam recte, sed brevius rem enarravisse. Verba Ibn-Bassami haec sunt[1])

قال ابو مروان . . . وكان علّقه عن عبد ٱلله بن احمد بن المكوى احد حكّام قرطبة . . [2]) اداه الى السجن فالقى نفسه يومئذ على ابى الوليد بن جهور فى حياة والده ابى الحزم فشفع له وانتشله من نكبته وصيّره فى صنائعه ولمّا ولّى الامر بعد والده نَوَّهَ به واسنى خطّته وقدّمه فى الذين اصطنعوا لدولته واوسع دولته وجلّله كرامة فلم تقنعه زعمًا واتّفق ان عَدَّلَهُ مَثْلب بحضرة ادريس الحمودى بمالقة فاطال الثوا هنالك واقترب من ادريس وخفّ على نفسه واحضره مجالس انسه بعنف عليه ابن جهور وصرّفه فى السفارة بينه وبين أمراء الاندلس فيما يجرى بينهم من التراسُل والمداخلة فاستقلّ بذلك نفضل ما أُوتِيَهُ من اللسان والمعارضة فألبسه الحُلّه والمنفعة ولم يعُقّه ذلك من التهافت فى الترقّى لبعد الهمّة فهوى عما قليل

---

1) Codicem Ibn-Bassami jam dixi mendis scatere, neque hunc locum edere ausus essem hoc uno nisus codice, quem temporis brevitate exclusus parum inspexi, nisi maximi momenti esset. Neque dubito, quin qui codicem diligentius et per longius tempus, quam ego potui, inspiciat, nonnulla corrigenda inveniat.

2) Parva lacuna codicis.

الى عباد صاحب اشبيلية احترمه الى ذلك فما حرّ على وطنه اليه
ونزل فى كنفه وصار من حواصّه وصحابته يجالسه فى خلواته ويسفر
له من مهمّ رسائله على حال من التوسعة وكان مآبه بعباد سنة
احدى واربعين واربعمائة[1].

„Abu-Mervan (ɔ: Ibn-Haijan) ex auctoritate Abdallah Ibn-Ahmad Ibnul-Mukvi[2]), qui inter proceres Cordubae erat, de eo (ɔ: de Ibn-Zaiduno) narrat: In carcerem conjectus aliquo die Abul-Valid Ibn-Dschahvaro, cujus pater adhuc vivebat, supplicavit, qui pro eo intercedens eum malis liberavit eumque clientem suum fecit. Abul-Valid post patrem suum rerum potitus Ibn-Zaidunum extulit, dignitatem ejus auxit, eumque primum fecit inter eos, quibus in re publica administranda usus est, potestatem ejus auxit et honoribus eum cumulavit. Quae omnia cupidini ejus non satisfecerunt. Factum est, ut negotium eum ad aulam Idrisii Hammuditae Malaqam duceret. Ubi longius moratus ad Idrisium inclinavit amicitiamque ejus coluit, et Idrisi eum inter familiares suos adscivit, quod Ibn-Dschahvar in malam partem accepit. Abul-Valid Ibn-Zaiduno legationes inter reges Andalusiae, epistolas scribendas, negotia curanda commiserat. Ad has res peragendas se idoneum praestitit ob eloquentiam et acumen ingenii et Abul-Valid ei pallium et emolumenta dederat. Quod tamen non impedivit, quin ob cupidinem honoris etiam excelsiores gradus dignitatis ascendere appeteret, et intra breve tempus ad Abbadidam, regem Sevillae se contulit, qui eum honoribus affecit, ita ut apud eum patriam suam non desideraret. Ejus praesidio usus et e familiaribus ejus factus ei secretarius fuit, quippe qui epistolas nomine et mandatu regis ederet. Refugium ejus ad regem Abbadidam anno 441 factum est."

---

1) In codice est: خمسمائة

2) Aben Pascualis nr. 602. Ibnul-Mukvi kadi Cordubae factus ab Abul-Hazm Ibn-Dschahvaro, ab filio ejus Abul Valido anno 435 (IO 43—44) magistratu motus est.

Non dubium est, quin nonnulli narratores vitae Ibn-Zaiduni usi sunt Ibn-Bassami Al-Dzachira, qui hic ut multis aliis locis scriptorem celeberrimum Abu-Mervan Al-Haijanum, Ibn-Zaiduni aequalem secutus est. Sed Ibn-Chaqan omnia funditus perdidit. Is scriptor qua erat incuria omni arte critica destitutus, formam modo elegantem respiciens nihil nisi amores Valladae et Ibn-Zaiduni curavit et ad hanc rem omnia accommodavit. Etsi ex opere ejus, Qalaijid-ul-Iqjân dicto, satis apparet, Ibn-Chaqanum non ignorasse, quae Ibn-Bassam de amicitia inter Abul-Valid Ibn-Dschahvarum et Ibn-Zaidunum tradidit, illos amores modo respexit, nihilque curans, quod Ibn-Bassam narrat, Ibn-Zaidunum fuisse vezirum Abul-Validi, fugam poetae ex carcere, in quem Abul-Hazm eum conjecerat, cum fuga ejus ad regem Sevillae confudit. Auctoritas Ibn-Chaqani, quae maxima erat, ceteros scriptores vitae Ibn-Zaiduni in errorem induxit, etiam Ibn-Nubatam, qui tamen rectam viam sequi inceperat.

Hoc modo factum est, ut omnes scriptores[1]) harum rerum – Dozy quoque – narraverint, Ibn-Zaidunum ex carcere, in quem eum Abul-Hazm conjecisset, fugisse et multos annos — viginti Weijers (Dozy, Cat. I, 258) opinatus est — huc illuc oberrantem ad extremum Sevillam pervenisse. Narratio Ibn-Bassami cum aliis, quae nobis tradita sunt, comparata, rem aliter se habere, docet, et Ibn-Zaidunum per annos, qui inter fugam ejus ex carcere Abul-Hazmi et fugam ad regem Sevillae interfuere, meliora fecisse quam huc illuc oberravisse, quae res etiam explicat, quo modo fieri potuerit,

---

[1]) Reiske quidem in praefatione (pg. VI) editionis suae epistolae Ibn-Zaiduni ad Valladam scriptae (Abi'l Walidi Ibn-Zeiduni Risalet seu Epistolium Arabice et Latine cum notulis edidit I. I. Reiske. 1755), aperte Ibn-Nubatam, quem ceteri neglexerunt, secutus haec tradit: „Initio comitem eum (ↄ: Ibn-Zaidunum) sibi legerat regulus Corthobae, Abu'l-Walid Ibn Gjahur. Sed obortis deinceps inter eos simultatibus fiebat, ut dominus nostrum in carcerem conjiceret". Sed rem Reiske modo tangit, de Abul-Hazmo ne verbum quidem.

ut Al-Mutadhid, rex Sevillae, eum tantopere coleret eumque vezirum suum faceret.

Res igitur ita fere se habet: Ibn-Zaidun aliqua de causa cum amore suo erga Valladam conjuncta ab summo magistratu rei publicae Cordubensis, Abul-Hazm Ibn-Dschahvaro in carcerem conjectus est. Quo anno hoc factum sit, nescimus. Quum Abul-Hazmo, qui anno 1043 mortuus est, adhuc vivente Ibn-Zaidun, intercedente Abul-Valido, ex carcere liberatus sit ac potius fugerit[1]), et Ibn-Zaidun postea per tempus non admodum breve huc illuc errasse videatur, ante annum 1040 in carcerem conjectus esse debet.

Ex carcere quum fugisset, coactus est se ad tractus occidentalis Hispaniae conferre (Weijers, pg. 85), sed amor ejus erga Valladam eum ad loca assueta reduxit, et in suburbiis Cordubae reconditus iterum iterumque carmina ad eam misit. ut ad se veniret. „Postquam igitur ille (ɔ: Ibn-Zaidun) aliquamdiu degisset in occidentali tractu isto" — scribit Ibn-Chaqan (Weijers, pg. 85—86) — „et solutus esset nodus patientiae ejus per animi moerorem, revertit Alzahram[2]), ut lateret in tractibus ejus, et curas suas levaret adspectu illorum, qui in ea urbe versarentur . . . Ac desiderio affectus est conveniendi Valladam, tenerrimoque hoc amore cupivit, at metuit istas calamitates et aerumnas; quare litteras ad illam dedit, describens magnitudinem immensam commotionis suae, et angustiam intervalli, quo ab illa separatus esset, et objurgans illam, quod negligeret ipsum visitare, et describens pulchritudinem loci, ubi in isto tractu degebat et versabatur". Ibn-Chaqan hic laudat carmen pulcherrimum[3]), quod tunc Ibn-

---

[1]) In hac re Ibn-Bassamum in errorem incidisse, satis docet epistola Ibn-Zaiduni ad Abu-Bekrum scripta (Pg. 17—18). Utrum Abul-Valid ab patre impetraverit, ut ex exilio poeta revocaretur, an post mortem demum patris eum revocaverit. non satis constat, quum in hac re Ibn-Bassamo confidere non possimus.

[2]) Suburbium Cordubae ab magno Almançuro conditum.

[3]) Cfr. Schack, Poesie und Kunst, 2. Ausg. I, 287.

Zaidun ad Valladam misit. Amicos suos maxime Abu Bekrum (Weijers, pg. 133), ut pro se intercederent, frustra obtestatus Valenciam se contulisse videtur (Weijers, 90—91), ubi post multos errores maxima liberalitate se acceptum esse, ipse testatur carmine ad vezirum Ibn-Abdulazizum scripto (Weijers, 91 sq.)[1]).

Ibn-Zaidun ab Abul-Valid Ibn-Dschahvaro revocatus magnis honoribus affectus est. Ex aliquot carminibus Valladae conjicere licet, eam fidem erga amatorem in carcerem conjectum et fugientem servasse. Maqqari (II, 564) haec tradit.

Ea (ɔ: Vallada) ei (ɔ: Ibn-Zaiduno), qui eam desiderabat, quam per longum tempus non viderat, scripsit:

„Vigilato, quum meum tenebrae adventum celabunt,
Nam intelligo noctem, quae occultanda sunt, optime tegere
Mihi tecum id est, quod si in sole esset, is non luceret,
Si in luna, ea non oreretur, si in stella, ea non emergeret[2]).

Vallada erga eum fidem servavit, quumque discidium fieret — nam eam sponte sua ab Ibn-Zaiduno non separari, versus demonstrant, et aperte falso Al-Maqqari ait, Valladam

---

[1]) Weijers in nota 100 haec scribit: Utrum hic Abdalmelicus ille, de quo supra dictum est, an alius quisquam Abdolazizi filius significetur, decernere omnino non possum; nec juvat etiam, quod poeta ipse in carminis versu 6° eum أبا عبد الله appellat, quum ex Condei certe opere non liqueat, Abdalmelico istud praenomen a filio sumtum proprium fuisse". Weijers ab Ibn-Chaqano in errorem inductus falso credidit, hic unum e filiis regis Valenciae, Abdulazizi Almançuri (1021—61) significari; Al-Maqqari (II, 184) tradit, hos versus ab veziro celeberrimo Abul-Valid Ibn-Zaiduno ad vezirum Abu-Abdallah Ibn-Abdulazizum scriptos esse. Ex opere Al-Maqqarii (II, 363) cognovimus, Ibn-Abdulazizum et ipsum poetam fuisse.

[2]) Apud Ibn-Nubatam (Dozy, Cat. I. 245) ultima verba sic sonant: „si in luna esset, ea non luceret, si in nocte, obscura non fieret, si in stella, non emergeret". Sed textus Al-Maqqarii praeferendus, quum luna optime cum sole et stella conveniat, et sententia aperte imaginem celandi flagitet.

hos versus scripsisse, quum ab eo discedere vellet — ei his versibus valedixit:

Valedixit patientiae amicus, qui tibi valedixit, secretis quae tibi commisit, amissis.
Isque contudit dentes suos, quod non passus suos tibi valedicens auxit [ut te assequeretur].
O frater plenae lunae nobilitate et splendore!
Reservet Deus tempus, quod te conspiciendum mihi praebeat!
Si longa est post tuum recessum nox, in qua versor,
At quoties questa sum de brevitate noctis, quam tecum transigebam [1]).

Fortuna Ibn-Zaidunum et Valladam juvit; vezirus Abul-Valid Ibn-Dschahvari factus eam Ibn-Zaidun revisit. Sed vir elegans fidem Valladae non servasse videtur; Vallada quidem queritur Ibn-Zaidunum servam suam — erat serva nigra, cantu praestantissima (Dozy, Cat. I, 249) — amare:

Si tuus erga me amor dimidiam modo mei in te amoris vim haberet,
Servam meam non amares, neque eam mihi praeferres.
Ramum uberem spernens ad ramum sterilem inclinasti,
Ac tamen sciebas, me esse lunam caeli, sed meo detrimento Jovem appetisti [2]).

---

[1]) Ibn-Chaqan (Weijers, pg. 72, ubi duo primi versus paulo aliter translati sunt) tradit — aperte falso — hos versus sic ortos esse: „Et profectus est aliquando vir, quem diligebat [Ibn-Zaidun], et ex improviso illi accidit separatio hujus et discessus; confecitque aliquam viae partem cum hoc, et comes huic fuit itineris; hic vero tantum sibi sentire visus est ex discessu dolorem, ut penitus ipsum obrueret; quare ille celeriter confecit valedictionem, dum cor ejus non alio afficiebatur sensu, quam si diffinderetur; ac die isto versatus est in statu hominis dolore contriti, et noctem illam transegit in somno fugaci, identidem eandem curam revolvens, eandemque memoriam renovans, dixitque (amicum alloquens): Valedicito patientiae q. sq."

Schack (I, 289, 4) falso — cfr. Al-Maqqari, ed Leid. II, 564 — versus ab Ibn-Zaiduno ad Valladam scriptos ait, ceterum eos elegantissime reddit. Cfr. pg. 12, n. 2.

[2]) Al-Maqqari, II, 563. Lusus verborum in carmine est, quum المشتري et Jovem planetam et servam emptam significet.

Vallada praeterea non obscuris verbis Ibn-Zaidunum veneris obscenissimi accusat. Scimus Ibn-Zaidunum feminae amatae non pepercisse[1]), neque hic rixae amantium redintegrationem amoris effecerunt. „Primum Ibn-Zaidunum Vallada amavit, deinde ab eo in vezirum Ibn-Abdusum, cui cognomen erat „ratti", inclinavit"[2]). Vallada Ibn-Abduso acumen ingenii sui probaverat, de qua re Ibn-Nubata haec tradit (cod. regiae bibliothecae Havniensis CLXII, 4 r.):

ثم ان الوزير ابا عامر بن عبدوس ايضا هام بها وكلف بعشرتها وكان قصدهم الظرف والادب وكانت ولادة كثيرة العبث به ولها معه نوادر ظريفة مرّت يوما بداره وهو جالس [بالباب](3 وامامه بركة تتولّد من مواضى(4 واقذار وحوله جماعة من اصحابه فوقفت عليه وقالت ابا عامر

* انت الخصيب وهذه مصرُ *

* فتدفّقا فكلاكما بحرُ *

فلم يُجِزْ جوابًا ومضت وكان كثيرًا ما يخدعها ويبغى التفرّد بها وفى ذلك يقول له ابن زيدون من قصيدة

* وغَرّك من عهد ولّادة *

* سرَآب تراءى وبرق ومَضَ *

* هى الماء يابى على قابض *

* ويمنع زبدته من مخض *(5

ثم انه ارسل اليها امراة من جهته تستميلها اليه وتذكرها

1) Al-Maqqari, II, 563: وفيها خلع ابن زيدون عذاره: in ea commemoranda Ibn-Zaidun omnem pudorem dimisit.
2) Dozy, Cat. I, 250.
3) Hoc verbum additur in Dozyi Cat. I, 245.
4) Vide Dozy Cat., I, 246 n. 1.
5) Cfr. Al-Maqqari, II, 566.

من محاسنه وترغّبها فيه وبلغ ابن زيدون ذلك فانشاء هذه الرسالة
البديعة تتضمن غرائب من سبّ ابى عامر والتهكّم به والهجاء له
وجعلها جوابا له عن لسان ولادة وارسلها عليه عقيب رجوع المراة
فبلغت منه كل مبلغ واشتهر ذكرها فى الآفاق وامسك ابن عبدوس
عن التعرّض لولادة الى ان انتقل ابن زيدون الى اشبيلية[1]

„Vezirus Abu-Amir Ibn-Abdus amore Valladae captus se consuetudine ejus delectabat; uterque elegantiam et doctrinam coluit. Vallada saepe cum eo jocata est, eique cum ea eximiae facetiae erant. Die aliquo ea domum ejus praeterivit, dum is in porta sua sedet; ante eum erat palus ex diluvie et squalore orta, multi clientes eum circumstabant. Vallada eum respiciens dixit: „O Abu Amir!

Tu es vir Al-Chaçib [abundans], et hic est Misr [magna urbs]. Vos diffundite, nam unum mare estis“ [2]).

Is nihil invenit, quod responderet, ea abiit. Saepe conatus est eam decipere et sine arbitris solus cum sola esse, de qua re eum Ibn-Zaidun his versibus alloquitur:

„Fata morgana tibi oblata et fulmen micans te caecum reddiderunt, ita ut Valladam videre non posses. Ea est aqua, quae ne capiatur recusat, flos lactis, qui se butyrum fieri non sinit“ [3]).

Ibn-Abdus ad eam misit feminam, quae eam sibi conciliaret, quam pulcher esset, demonstraret, amores ejus in se excitaret. Quum haec ad Ibn-Zaidunum allata essent, hanc epistolam singularem, quae multos mirabiles injurias in Abu-Amirum et ludibria et satiras in eum complectitur, scripsit fingens eam reponsum ad Abu-Amirum nomine Valladae scriptam. Epistolam, postquam femina illa revertit, ad Ibn-

[1]) Textum cod. Havn. edidi, quod valde ab codicibus Dozyi discrepat.

[2]) De viro nobilissimo, cui nomen est Chaçibi, et hoc versu vid., quae Ibn-Batuta narrat (Ibn-Batoutah, voyages, I, 99.) Metrum الكامل.

[3]) Metrum est المتقارب.

Abdusum misit, quem valde movit, et celebrata est illa epistola per totum orbem terrarum. Sed Ibn-Abdus Vallada abstinuit, donec Ibn-Zaidun se Sevillam contulit" [1]).

Haec omnia confirmant, Ibn-Zaidunum post fugam ex carcere Abul-Hazmi Cordubam revertisse, quippe qui et ex carcere et ex exilio Valladam, quam etiam tum amabat, ut pro se intercederet, adiret, quum omnia significent, discidium eorum postea sensim factum esse. Valladae certe amor in Ibn-Zaidunum cessaverat, quum iterum mala ab Dschahvaridis in eum irruerunt. Ibn-Bassam nihil aliud dicit nisi Abul-Validum poetam male tractasse, Ibn-Zaidunumque iterum Cordubam reliquisse; Ibn-Nubata quidem narrat, Ibn-Zaidunum in carcerem conjectum esse, sed fortasse has res cum rebus Abul-Hazmo regnante factis confudit. Ex verbis Ibn-Bassami licet conjicias, Ibn-Zaidunum amicitia sua cum Idrisio rege Malaqae suspicionem domini Cordubae movisse. Hammudites, ab Ali, chalifa quarto, orti in seditiones Hispaniae se immiscuerant, quum regno Omaijadarum potiri studerent. Eo tempore, de quo hic agitur, Idris II Hammudites Malaqae regnavit, ubi asseclae ejus eum chalifam nominaverant (1043) [2]). Idris, vir benignus, sed debilis viris litteratis et poetis favebat. Non erat aemulus regni gravis, sed facile est intellectu, amicitiam inter vezirum Cordubensem et regem Malaqae, qui se dominum etiam Cordubae appellavit, suspicionem Abul-Valid Ibn-Dschahvari excitasse. Quo modo re vera hae res se habeant, non satis nobis exploratum est; pro certo modo dicere possumus, Ibn-Zaidunum iterum in exilium ejectum ad Abbadidas, reges celeberrimos Sevillae, se contulisse (441=1049=50).

Eo tempore (cfr. pg. 21) Mutadhid rex Sevillae erat

---

[1]) Illam epistolam celeberrimam edidit Reiske. (Abi'l Walidi Ibn-Zaiduni Risalet seu Epistolium. Arabice et Latine cum notulis edidit I. I. Reiske, 1755).

[2]) Dozy, Geschichte, II, 268 sq.

(1042—69), vir doctrina imbutus, homines litteratos et poetas quam maxime colens. Is benigne Ibn-Zaidunum accepit, eum Dzul-Veziratain (chef des officiers d'épée et de plume)[1]) fecit. Tum, ut Ibn-Chaqan (Weijers 119) 'dicit, expeditus erat funis infortuniorum ejus et dissolutus, mens ejus angoribus levata erat. Sed Valladae, etsi jam provecta aetate erat, oblivisci non potuit. „Tenero cum sensu", dicit Ibn-Chaqan (Weijers 119—20), „desideravit loca, ad quae Valladam visitatum exire solebat, et meminerat illius, nec simulavit se ejus esse oblitum; ac rediit ad illum dolor amoris sui et reliquum hunc servavit, et tali erga illam desiderio affectus fuit, quali affectus est is, quem interpositus obex separat ab eo, cujus cupidine fertur, et contentum se habuit, si tantum liceret salutationem mittere, quae ad illam veniret et pertingeret." In carmine amatorio (Weijers 120 sq.) veterem amorem amatamque feminam in memoriam revocat. „Nec desiit", (Ibn-Chaqan, Weijers 150 sq.), „expetere, ut in propinquo sibi esset Vallada, sed fieri hoc plane non poterat, et intercedebat, quo minus ad eam perveniret, publicatio sanguinis ipsius et venia data hunc impune effundendi, propter malam famam, quam reliquerat in regno Cordubae et apud principem ejus[2]), et ob turpia facta, quae attribuebant illi cives ejus, quae Dschahvaridarum iram illi concitaverant, et hastas eorum in illum direxerant"[3]). Ibn-Zaidun numquam Valladam revisit, quae eum non desiderans amicitia arte per multos annos cum Ibn-Abduso conjuncta vixit, quippe quum uterque plus quam octoginta annos viveret[4]).

---

[1]) Weijers, Spec. crit. 60, n. 1.

[2]) Scripturam codicis retineo; cfr. Weijersii notam 251.

[3]) Weijers (in nota 250) scribit, auctorem sibi non videri significare, Ibn-Zaiduni caput sollemni quodam principis jussu in regno Cordubensi proscriptum fuisse. Ibn-Chaqan sine dubio recte crimen laesae majestatis commemorat.

[4]) Ibn-Bassam (113 v.) et Aç Çafadi (Dozy, Cat. I, 250): وطال عمرها وعمر ابى عامر حتى اربيا على الثمانين

Ibn-Zaidun vezirus Mutadhidi, potentissimi regis Hispaniae Arabicae factus strenue res et belli et pacis administrabat [1]). Non mirum est, fortunam ejus inimicitias hominum in eum excitasse, et post mortem Mutadhidi (1069) purpurati aulae Sevillae Ibn-Zaidunum apud novum regem Mutamidum criminabantur. Sed Mutamid, qui et ipse inter praestantissimos poetas Arabes illius temporis numerandus est, poetae veziro valde favens calumniatores reprehendit. Tranquille Ibn-Zaidun vitam traduxit maximis honoribus ab Mutamido affectus usque ad mortem suam. Abul-Valid Ibn-Zaidun, quem scriptores Arabes [2]) Buhturum Occidentis, hodierni Tibullum Andalusiae [3]) appellant, mortuus est Sevillae anno 463 p. f. p. (1070—71) [4]). Filius ejus ei vezirus Mutamidi successit et fere una cum imperio Abbadidarum interiit, quippe qui e vita excederet eo die, quo imperator celeberrimus Ibn-Taschefin vi Cordubam cepit (1091) [5]).

Ibn-Zaidun ut erat poeta celeberrimus multa pulcherrima scripsit carmina, quorum nonnulla in opere Al-Maqqarii exstant, res gestas Omaijadarum in Hispania regnantium enar-

---

1) Weijers, pg. 177.

2) Al-Maqqari, II, 383. — Cfr. Dozy, Cat I, 243.

3) Dozy, Geschichte, II, 364.

4) Aç-Çafadi (cod. Leid. f. 13) recte (Cfr. Dozy, Cat. I, 243) tradit, Al-Dzachiram laudans, Ibn-Zaidunum anno 463 mortuum esse, sed errat in eo, quod dicit, Ibn-Baschkuvalum narrare, poetam nostrum anno 354 natum anno 405 morte abreptum esse. Haec, ut jam commemoravimus (pg. 6) apud Ibn-Baschkuvalum de patre poetae narrantur.

5) Aç-Çafadi (cod. Leid. 13): وكان له ولد يقال له ابو بكر تولى وزارة المعتمد وقتل يوم اخذ يوسف ابن تاشفين قرطبة من ابن عباد

Cfr. Dozy, Geschichte, II, 377.

ravit[1]), alias partes litterarum coluit[2]), sed maxime ob epistolas suas in oratione rhythmica[3]) scriptas celebratus est. Illius temporis poetae, litteris plene imbuti, saepe erant principum viziri, interdum non modo ab epistolis erant, sed etiam res belli administrabant ut Ibn-Zaidun, qui factus est ذو الوزارتين possessor utriusque veziratus, chef des officiers d'épée et de plume[4]). Calamo tamen magis quam gladio poeta noster usus esse videtur. Jam temporibus remotis ratio subtilissima linguae Arabicae et exquisita ars, quae in scriptis vulgo quaerebantur, reges Muhammedanorum coegerunt, ut viros omnibus studiis et artibus, quae huc pertinerent, imbutos secretarios sibi eligerent, secretarii regum sensim inter principes civitatis asciti in Hispania Arabica fere semper veziri erant[5]).

Abdul-Hamid Ibn-Iahja, qui sub finem regni Omaijadici Asiae vixit[6]), ut ita dicam, scholae principum secretariorum auctor erat. In epistola ab Ibn-Chalduno[7]) commemorata discipulos suos admonuit, ut linguam Arabicam omni studio colerent, carmina eorumque verba rara et sententias insolitas ediscerent, diligenter res gestas Arabum et Persarum legentes memoria tenerent. Ibn-Zaiduni epistolas perlegenti facile apparet, poetam nostrum praeceptorum magistri, quem in epistola sua ad Ibn-Abdusum scripta commemorat — „quod Abdul Hamid Ibn-Iahia tuos calamos scalpserit"[8]) — non oblitum esse. Ibn-Zaidun sine dubio fuit optimus secretarius, quod etiam fama doctrinae et artis ejus satis demonstrat,

---

[1]) Al-Maqqari, ed. Leid. II. pg. 123.

[2]) Haji Khalfa, ed. Flügel VI, pg. 544.

[3]) De ea vid. Mehren. Rhetorik, 166—67.

[4]) Weijers, Specimen criticum, pg. 60 n. 1.

[5]) Ibn-Khaldoun, Prolégomènes, trad. par Slane, Notices et extraits, XX pg. 11.

[6]) † 132 (750), Ibn-Khallikan, transl. par Slane, II, pg. 173. Cfr. Hammer, Litteraturg. II, 218—19, III, 355.

[7]) Ibn-Khaldoun II, pg. 30—31.

[8]) Abil-Walid Ibn-Zeiduni Risalet, ed. Reiske, pg. X et 3.

nam, ut H. Chalfa dicit[1]), epistolam Ibn-Zaiduni ad Ibn-Abdusum scriptam commemorans: „Invenit vastum sermonis campum, in quo pro arbitrio orationis particulis usit, et egregie ad animi sententiam in hac re versatus est. Omnis epistola ejusmodi variis orationis ligatae et solutae generibus, quae studiorum humanitatis documento sunt, repleta est“.

Tres epistolae Ibn-Zaiduni, quas cognovimus, locis carminum poetarum Arabum antiqui temporis, proverbiis, significationibus historiae Arabum sacrae et antiquae atque etiam rerum gestarum Persarum, interdum etiam Graecorum abundant. Epistola illa nomine Valladae ad Ibn-Abdusum scripta celeberrima cum epistola ad Ibn-Dschahvarum in hoc libello edita eo convenit, quod mediam partem utriusque epistolae tenent res historicae, discrepant in eo, quod haec epistola in carmen desinit ut tertia ad Ibn-Bekrum scripta[2]), illa tota, locis laudatis aliorum poetarum exceptis, in prosa oratione scripta est. Ceterum Ibn-Zaidun interdum eadem repetivit. In parte epistolae ad Ibn-Bekrum scriptae, quam Aç-Çafadi[3]), sed non integram, nobis servavit, proverbium لو ذات السوار لطمتني, cujus altera forma Ibn-Zaidun in epistola ad Ibn-Dschahvarum scripta[4]) usus est, legitur, et statim post versus وانك لم يفخر الخ, qui paucis mutatis etiam in nostra epistola legitur[5]). Et in epistola ad Ibn-Abdusum scripta[6]) et in epistola hic edita[7]) leguntur proverbia: كلّ الصيد في جوف الفرا et: انّ العصا قرعت لذى الحليم

Quum epistola illa Ibn-Zaiduni nomine Valladae scripta celeberrima sit, jamque anno 1755 ab Reiske, postea ab

---

1) Ed. Flügel, III, 359, ubi H. Chalfa in errorem incidit, quippe qui dicat, epistolam ad Abu Amir Ibn-Dschahvarum (!) scriptam esse.
2) Dozy, Cat. cod. I, 246—48. Nouv. Journ. asiat. XII, 500—18.
3) Dozy, l. l.
4) Pg. 70.
5) Dozy, pg. 248, non notat, versum esse Imrul-Qaisi. Vid. h. l. pg. 70, n. 68.
6) Risalet pg. 4.
7) Pg. 82 et 92, v. 16.

Hirtio edita, epistola ad Ibn-Dschahvarum scripta adhuc in codicibus latuit. Certe illa epistola facetiis et venustate epistolam ad Ibn-Dschahvarum scriptam longe superat, sed arte, qua elaborata est, nullo modo haec illi cedit. Sed multas difficultates epistola nostra habet, quum res, quae tractantur, adhuc satis obscurae fuerint; nunc locus Ibn-Bassami, quem supra[1]) edidi, aliquid luminis affert.

Jam argumentum epistolae demonstrat, eam spectare tempus, quo ab Abul-Hazm Ibn-Dschahvaro poeta noster in carcerem conjectus erat. Non facile enim credere possumus, Ibn-Zaidunum, quum postea Abul-Valido in odium venisset, quod aliorum principum amicitiam coleret, talem epistolam scripsisse. Idem efficiunt loci epistolae, qui cum epistola Ibn-Zaiduni ad Abu-Bekrum scripta conveniunt[2]), quam scimus Ibn-Zaidunum scripsisse eo tempore, quo Abul-Hazmo regnante huc illuc erravit. Ibn-Chaqan enim scribit[3]): „Atque illius (ↄ: Ibn-Zaiduni) est hoc carmen (ↄ: carmen, in quod epistola illa ad Abu-Bekrum desinit), quo quum effugisset (e carcere), et complevisset dies infortunii sui, dum clam commorabatur Cordobae, appellavit Walladam, et excitavit virum litteratum Abu-Bekrum ben Allobana[4]) ad intercedendum (pro ipso), et flectere studuit Aboulhazmum ben Djahwar".

Epistola nostra igitur eo tempore scripta est, quo poeta ab Abul-Hazmo in carcerem inclusus erat. Sed inde non sequitur, ut epistola ad Abul- Hazmum scripta sit.

Ibn-Zaidun in hac epistola primum (pg. 41 hujus libri) „dominum suum et patronum", quem maximis laudibus extollit, alloquitur, dicens, inter res maxime miras haberi debere, si amicitia ejus sibi eripiatur. Deinde: „Sed ego",

---

[1]) Pg. 22—28.

[2]) Pg. 14—18.

[3]) Weijers, Specimen, pg. 133.

[4]) Cfr. Weijers, pg. 133, n. 203.

inquit, „demonstrabo, me rebus dubiis non affligi“ (Pg. 49). Hae res adversae remittentur, neque de domino dubitabo (51—53); nam quid commisi, cujus veniam impetrare non possim a te, qui tam facile omnia omnibus condonet? „Si nulla mea est culpa, tua justitia magna, sin peccavi, gratia tua major est“ (55). Poeta queritur, se tractari, quasi inter homines sceleratissimos historiae sacrae et profanae numerandus sit (55 – 63). Si re vera tanta delicta commisisset, se non recusaturum, quin concederet, mala, quibus affectus esset, poenam sibi non immeritam esse (63), sed nulla, addit, mihi culpa est „nisi calumnia, quam homo clandestino odio imbutus obtulit“. (63—65). Diffamatores et calumniatores, qui aliorum malis gaudeant et studeant, ut inimicitias excitent, scriptor noster vituperat (65—67), jurat, se dominum suum non decepisse (67), in fatum suum iniquum invehit, et dolore se affici dicit, quod ab viris vilibus vincatur (69—71), dominum hortatur, ut se, dum tempus sit, adjuvet (71). Deinde: Fieri non potuit, inquit, ut necessitudo, quae mihi tecum erat, et honores, quibus me affecisti, inimicitias mihi non crearent. Profitetur scriptor se ob illos honores illamque necessitudinem superbum esse, dominum admonet, se eum carminibus splendidissimis laudasse, si quidem ipse laudem talis viri augere possit (73). Ibn-Zaidun non negat, sibi optimum fore patriam relinquere, sed fortunam exilii dicit miserrimam esse (75 – 77). Ad hoc, addit, accedit, quod vitium esse credit alium quam dominum, ad quem hanc epistolam scripsit, colere et laudare, neque sibi alium dominum vult (81 – 83). Pro certo sperat Ibn-Zaidun dominum ad ultimum flecti, neque credere potest, se semper frustra veniam petiturum. Dominum, quem semper coluerit, precatur, ut in carcere sibi recludendo operam ponat, quod ei facile sit, sibi ipse promittit, se e carcere liberatum invidiosos cauturum (83—87), dicit, se carmine quoque, ut dominum flectat, enisurum (87 – 89), et in carmine (89—97), in quo (v. 12) deum precatur, ut „Dschahvarum“ servet, do-

minum adit, ut pro se intercedat, nam intercessor magis quam liberator laudandus est (v. 24). Ad ultimum dominum suum precatur, ut, quod etiam domino felix faustumque sit, epistolam in bonam partem accipiat.

Epistolam ad Abul Hazm Ibn-Dschahvarum scriptam esse nobis suspicari liceret, nisi aperte in carmine intercessorem poeta adiisset. Jam scimus (pg. 23), Abul-Validum, amicum Ibn-Zaiduni,apud patrem intercessisse, ut e carcere Ibn-Zaidun liberaretur; non igitur dubito, quin epistola Ibn-Zaiduni ad Abul-Valid Ibn-Dschahvarum, patre ejus Abul-Hazmo vivo, scripta sit.

Praesto mihi fuerunt in epistola Ibn-Zaiduni edenda tres codices operis, quod inscribitur تمام المُتون بشرح رسالة ابن زيدون للشيخ صلاح الدين الصفدى[1])

1) Codex bibliothecae Parisinae nationalis (Supplément Arabe 1503). In codice optimo, qui solus textum integrum et epistolae et commentarii continet, pars proemii desideratur. Cfr. Dozy, Cat. cod. I, 246 n. 4.

2) Codex ejusdem bibliothecae (Suppl. Arabe 1504). Non pauca in commentario desunt. Cfr. pg. 51 n. 20 et 53 n. 26.

3) Codex bibliothecae Leidensis (CCCLXXXV Cod. Warneri 791), de quo vid. Dozyi Cat. I, 238 et 241. Dozy (pg. 241) jam annotavit, ex codice male ligato duo folia excidisse. Ultima verba f. 13 †, quod folia 30—247 sequuntur, sunt الاحنف ابن قيس (pg. 66 h. l.); post folium 247 sequuntur folia 14—29, sed folii quatuordecimi prima verba sunt: لم تزل مغضبا (vid. vers. 29. pg. 96 h. l.).

[1]) † 764 (1362—63). Dozy, Cat. I, 238.

II.

Epistolam

Ibn-Zaiduni

ad

Ibn-Dschahvarum

scriptam

nunc primum edidit

R. O. Besthorn.

Cod. 1508: pg. 5 r. يا مولاى وسيّدى الذى ودادى له· واعتمادى عليه· واعتدادى
به[1]) · ومَن ابقاه الله مَاضىَ[2]) حدِّ العزم· وَارِىَ زَندِ الأمل ثَابتَ عَهدِ
النعمةِ· إنْ سلبتَنى أَعَزّك الله لِباسَ إِنعامك· وعطّلتنى مِنْ حلْىّ

Aç-Çafadi (cod. Paris. 1503. 5 r., 1504, 11 r., cod. Leid. 13):
وها انا اورد الرسالة المذكورة منقولة*) من خطّ الامام على ابن ظافر رحمه الله تعالى وأثبتها جملة ثم اعود بعد ذلك فاوردها شيئا فشيئا من اولها الى اخرها وكلما اوردت منها شيئا اوضحت مبهمهُ وفصّلت مجملهُ واوردت ما له به علاقة مستعينا فى بلوغ المقصود بالله تعالى، كتب ابو الوليد احمد بن زيدون رحمه الله تعالى الى ابن جهور رحمه الله تعالى يا مولاى الخ

Jam explicabo epistolam commemoratam descriptam ex apographo Ali Ibn-Thafiri. Ea tota descripta revertar eamque ab initio usque ad finem sensim citabo. Quotiescunque aliquid citavi, obscura explicavi, conjuncta disjunxi, quae cum explicatis cohaerebant, commemoravi, auxilium implorans dei, ut mihi, quae mihi proposuissem, perficere liceret. Abul-Valid Ahmad Ibn-Zaidun ad Ibn-Dschahvarum scripsit: O domine mi sqq.

---

*) Sic in cod. Leid. et Par. 1503. In cod. Par. 1504: الرسالة وهى منقولة

O! domine, patrone mi, tu, quem diligo, quoque confido, tu mihi in angustiis rebus versanti perfugium, tu, quem deus servet virum propositum perficientem, ignem ex chalybe spei elicientem, beneficiorum promissorum memorem! Si tu, cujus potentiam deus firmet,

---

[1]) Aç-Çaf. (12 v.; 19 v.; 19—20): وقد اتى ابن زيدون فى هذه الالفاظ بالترصيع وهو من انواع البديع لانه قال الّذى ودادى له واعتمادى عليه واعتدادى به فاتى بالدال وبعدها الياء وهى ضمير المتكلّم وعُدّىَ كلُ واحد بحرف جرّ فى له وعليه وبه وهذا نوع من انواع البلاغة يدلّ على قوّة المعارضة وسعة العبارة

Ibn-Zaidun hic paronomasia, genere allitterationis (Mehren, Rhetorik der Araber, pg. 168) usus est, dicens: الّذى ودادى له واعتمادى عليه واعتدادى به, quae verba omnia in litteras, quae sunt د et ى exeunt (ى est pronomen personale primae personae) unicuique addita praepositione cum verbo ab ea recto, له, عليه, به. Quae forma orationis ad artem rhetoricam pertinens demonstrat, quanta sit vis facundiae et amplitudo stili.

[2]) Imago petita est ab gladio rem transeunte.

Aç-Çaf. (13 r.; 20 r.; 20): والماضى السيف النافذ فى الضريبة والعزم الضريبة

الماضى est gladius rem, in quam incidit, transiens. Res, in quam incidit gladius, est propositum.

ايناسك ٣٠) واظمأتنى الى برود اسعافك ٠ ونفضت بى كفّ حياطتك ٤٠)

وغضضت عنّى طرف حمايتك ٥) بعد ان نظر الاعمى الى تأميلى لك ٠

---

3) Aç-Çaf. (14 r.; 21 r.; 22): وقد استعار الاستلاب للباس والعطل للحلى وهى استعارة حسنة كانّ انعامه كان*) له بمنزلة اللباس فارتجعه وسلبه وكانّ ايناسه له**) كان بمنزلة الحلىّ له فعطّله منه وترك جيده بلا قلادة عاريًا من حلىّ الانس

Scriptor metaphorice usus est verbo privandi de vestibus et verbo, quod est carere, de ornamentis, quae metaphora pulcherrima est, velutsi beneficia illius ei pro vestibus essent, quae ei ereptae essent, et velutsi illius familiaritas esset pro ornamentis, ita ut collum ejus, quum ornamentis familiaritatis ejus privatus esset, nulla ornamenta nullumque monile haberet.

4) Aç.Çaf. (14 r.; 21 v.; 22—23): يقول واعطشتنى الى برود اعانتك لى وانجادى وطرحتنى من كفّ حوزك [لى] و [هو]***) قد استعار الظماء وهى شدّة العطش الى برود الاسعاف ونفض الكفّ من الاحاطة به والحوز له وذلك فى غاية الحسن

Siti me, inquit, tuis opibus tuoque auxilio refrigerandi afficis meque e manu tua me tenente ejicis. Metaphorice utitur verbo, quod est الظماء, quo significatur magna sitis refrigerationis quaerendae ex illius familiaritate, et verba نفض الكف simili modo ponit de auxilio et protectione ejus, quae metaphora pulcherrima est.

5) Aç-Çaf. (14 v.; 21 v.; 22 r.; 23): وقد استعار الطرف لحماية لما كان الذى يحميك ويقيك كانّه ناظر اليك يحفظك من

---

*) Deest in 1503.

**) نه modo in cod. 1503.

***) Verba unculis inclusa desunt in Leid; هو etiam deest in 1503.

mihi vestem beneficiorum eripis meque ornamento tuae necessitudinis privas, si tu me siti refrigerationis ex tuis opibus quaerendae afficis, manumque tuae protectionis ab me aufers, si oculos tuos me tuentes a me avertis, postquam caecus quoque spem quam in te posui vidit, et surdus laudes

---

كل ما يهمّك امره لا جرم انّه حسن استعمال الغضّ هنا لطرف الحماية وهى استعارة حسنة وقد اخذ ابن زيدون رحمه الله تعالى يعدد على ابن جهور ما عاجله*) به من الجفوة وكان يكفيه ان يقول ان سلبتنى لباس انعامك بعد ان نظر الاعمى الى تاميلى لك ولكنّه وفّى المقام حقّه من تعداد ما وجده منه من سلبه لباس انعامه وتعطيله**) من حلّى ايناسه واظمائه الى برود اسعافه ونفض كفّ الحياطة وغضّ طرف الحماية ولا شكّ ان تعداد الظلامات أبلغ وأجلب للرحمة وأدلّ على التوجّع

Verbo, quod est انحرف, metaphorice de protegendo usus est, quum is, qui aliquem defendit et protegit, quasi eum intueatur, eum ab omni re, qua angi potest, defendens. Certe hic pulchro modo metaphorice غضّ posuit de oculo vigilante, quae metaphora pulcherrima est. Ibn-Zaidun incipit enumerare contra Ibn-Dschahvarum, quas hic in se injurias commiserit, quum Ibn-Zaiduno satis fuisset dicere: „si mihi beneficiorum tuorum vestem eripis, postquam caecus quoque spem quam in te posui vidit“. Sed occasione data prolixius enumerat, quae sibi contigissent ab illo, qui vestem beneficiorum sibi eripuisset, se ornamentis necessitatis ejus privasset, se siti refrigerationis ex opibus illius quaerendae affecisset, manum protectionis abstulisset, oculos vigilantes avertisset. Non dubium est, quin enumeratio injuriarum et efficacissima sit et maximam clementiam excitet et quam optime dolorem, quo affectus sit, demonstret.

---

*) In cod. Leid.: عامله.

**) In cod. 1503 تعطّله.

وسمع الاصمّ ثناءى عليك[6]) واحسّ الجماد باستحمادى لك[7]).
فلا[8]) غروَ قد يغصّ الماءُ شاربَه[9]). ويقتل الدواءُ السمتشفِيَ به[10]).

---

[6]) Aç-Çaf. (15 r.; 22 v.; 24): يقول فعلتَ بى ما تقدّم من سلب لباس انعامك وما بعده من الجمل المعطوفة بعد ان*) نظر الاعمى الى تأميلى لك وهذه مبالغة زائدة وهو ان التاميل امر معنوىّ لا يشاهده العين وانا كنتُ مبالغًا فيما امّلته منك ورجوته حتى راه الاعمى ونظره من شدّة اتّصافى به وتلبّسى به وهذه مبالغة عظمى فى هذه المعنى وهو**) يشير الى قول ابى الطيّب

* انا آلّذى نظرِ الاعمى الى ادبى *
* وأَسْمَعَتْ كلماتى من به صَمَمُ *

Me, inquit, affecisti iis, quae enumerata sunt de vestibus beneficiorum ereptis, quaeque in sententiis annexis continentur, postquam caecus quoque spem quam in te posui vidit — quae hyperbola immodica est; spes enim notio est, quam oculus videre non potest — egoque in te spem meam et exspectationem usque eo posui, ut caecus eas videret et perspiceret, quod ego hanc spem quasi qualitatem inhaerentem gererem meque ea vestirem Haec major est hyperbola. Ibn-Zaidun verba Abul-Taiibi (Mutanabbii carmina, ed. Dieterici, 483) spectat:

„Ego talis sum, cujus doctrinam videat caecus, cujus orationem necesse sit surdum quoque audire."

[7]) Ex commentario (16 r.; 23 v.; 25) videmus, codices fuisse, in quibus pro باستحمادى لك esset باستنادى اليك, quae scriptura etiam in margine codicis Leidensis (13 † recto) addita est. In textu cod. Par. 1503 sic legitur: باستحمادى لك واستنادى اليك In textu codicis 1503 verba ab تاميلى لك usque ad فلا غرو desunt.

[8]) Aç Çaf. (23 v.; 25): هذا الفا جواب الشرط فى قوله اوّل الرسالة انّ سلبتنى وما بعده من الجمل

*) In cod. 1504 et Leid. بعد ما.

**) Deest in cod. 1503.

meas in te audivit, et anima carentia perceperunt me, ut tibi probarer, niti — si haec ita se habent, non est mirum; aqua enim interdum eum, qui ex ea bibit, suffocat, et me-

---

[9]) Cfr. proverbium, quod Aç-Çafadi citat (16 v.; 25 r.; 26): رُبَّما شَرِقَ شارِبُ ٱلمَاء قَبْلَ رِيِّهِ Saepe aquam bibens nondum rigatus in gutture praefocatus fuit. (Freytagii Arabum pr. I, 581).

[10]) Aç-Çaf. (17 v.—18 r.; 25 r.—v.; 28—29): وقوله ويقتل الدواءُ المستشفى به كان ابو الطاهر اسمعيل المنصور بن القائم المهدى صاحب افريقية احد*) الخُلَفَاء الفاطميّين اعتلّ علةً طويلةً ولمّا اراد دخول الحمام فى المنصورية نهاه طبيبه اسحاق بن سليمان الاسرائلى فلم يقبل منه ودخل الحمام فغلبت**) الحرارة الغريزيّة ولازمه السهر فاقبل اسحاق يعالجه وسهرُهُ باقٍ على حاله فاشتدّ ذلك على المنصور وقال لبعض خدمه أما بالقيروان طبيب يخلصنى من هذا فقالوا هاهنا شابّ قد نشأ يقال له ابرهيم فامر باحضاره فلما حضر عرّفه حاله وشكى اليه ما به فجمع له شيا يُنَوِّمُهُ وجعله فى قِنّينة على النار وكلّفه شمّ ذلك فلما ادمن شمها نام فخرج ابرهيم مسرورا بما فعل وحضر اسحاق فقالوا له انه نائم فقال إن كان صنع له شيا ينام به فقد مات فدخلوا اليه فوجدوه ميتا فارادوا قتل ابرهيم فقال اسحاق ما له ذنب داواه بما ذكره الاطبّاءُ ولكنّه جهل اصل المرض وما عرفتموه ذلك انّى كنتُ اعالجه وانظر فى

---

*) 1508: اخر.

**) 1504: غلبت; 1503 et cod. Leid.: غنيت.

ويُوتى الحذر من مأمنه [11]) . ويكون منيّة المتمنّى فى امنيّته [12]) .

* والحين قد يسبق جهد الحريص * [13])

* كلّ المصايب قد تمرّ على الفتى *

* وتهون غير شماتة الحسّاد * [14])

تقوية الحرارة الغريزية ومنها يكون النوم فلما عولج بما اطفاها علمتُ انه مات

Verba Ibn-Zaiduni: „Per deum! te non decepi post monitum sincerum“ usque ad verba: „quumque pactum esset, quod tecum fides pepigit“ in libris rhetoricis et ab eorum scriptoribus in categoria الاستقصاء (perscrutationis) ponuntur, cujus natura haec est: si viro arte rhetorica imbuto notio se obtulit, eam perscrutari studet, omnia, quae in ea fortuita aut necessaria sunt, et qualitates omnes inhaerentes afferens, ita ut nihil perscrutandum relinquat. Ejusmodi est ratio Ibn-Zaiduni. Quum enim se apud Ibn-Dschahvarum criminibus liberatum vellet, „neque, inquit, te decepi, neque a te declinavi, neque tibi inimicus fui, neque de te desperavi, quum tibi confidam et fiducia mihi in te sit“. Jamque iis, quae sibi crimini dari posse opinatus esset, se penitus liberare studuit. Sed hoc non contentus addit: horum omnium criminum immunis de te non desperavi, quippe quum fides mea in te posita sit. Vim praeteritorum verborum his verbis auget, quum constituit, quibus modis illius misericordia et benevolentia in se constituenda sit. Inter pulcherrima ad hanc categoriam pertinentia sunt verba Qurani (2, 268). „Num quis vestrum hortum palmarum et uvarum plenam sibi vult“ usque ad dictum quod est: „ita ut (hortus) flammis consumatur“.

[66]) In codice Parisini 1504 est عاث, in 1503: عاق et عاذ in cod. Leid غاث, sed sententia et verba commentarii satis demonstrant عاث

Cur fatum iniquum mea officia lusit, et cur impietas affinitates meas corrupit? Quare necessitudines mihi tecum perierunt? Cur in angustias redactus sum? Quare ea, quae optavi, in solum sterile inciderunt? Quam ob rem, si mihi potestas equitandi non est, contentus sum, dum modo mihi liceat habenas jumento imponere? Immo vero

»pro praeda reditu“.

---

scribendum esse Est enim in commentario (125 v.; 139 v.; 204): عاث يعيث عيثا اذا افسد

Additur: والعقوق ضد البرّ

67) Aç-Çaf. (128 v.; 142 r.; 208): هذان مثلان اوردهما يستفهم عن حاله فقال ذلك والمثل الاول لفظه إِرْضَ مِنْ المَرْكَبِ بالتَّعْلِيق معناه ارضَ مِن عظيم الامرِ بصغيرِه وهو يضرب فى القناعة بادراك بعض الحاجة . . . والمثل الثانى وهو قولهم قَنِعْتُ مِنَ الغَنِيمَة بالإيابِ اوّلُ مَن قاله امرؤُ القيس نظما وهو

* وَقَدْ طَوَّفْتُ فِى الآفاق حتى *

* قَنِعْتُ مِنَ الغَنِيمَة بالإياب *

Duo proverbia, quae citat, haec sunt: alterum: „contentus esto, si tibi non licet equitare. habenas jumento imponendo“, cujus vis est: parva parte magnae rei contentus esto. Proverbium ponitur de eo, qui partem modo eorum, quibus eget, adeptus contentus est; alterum: „reditus mihi praeda est, qua contentus sum“. Primus hoc posuit Imrul-Qais in hoc versu (Metrum est الوافِر):

„In regionibus multum circumerravi, ut pro praeda reditu contentus essem“.

De altero illo proverbio cfr. Freytagii Pr. I, 547—48, de altero ejusdem libri I, 537, ubi et in textu proverbii et in versu Imrul-Qaisi pro قنعت legitur رضيت

وأنّى غلبنى المُغلّب· وفخرَ علىّ العاجزُ الضعيف ولطمتنى· غيرُ ذاتِ سوارِ [68])

وما لك لَنْ*) تمنع منّى· قبلَ ان أُفترس وتُدرِكنى· ولمّا أُمزّق [69])

*) In textu 1503 est: وما لك لم اتمنع · من قبل ان افترس
In comm. 1503 est لم pro لن

---

[68]) Aç-Çaf. (129 v.; 143 v. – 144 v.; 210): هذه ثلثة امثلة من امثلة العرب فالأوّلان بيْت من شعر امرء القيس وهو

* وانك لم يفخر عليك كفاخرِ *

* ضعيفٍ ولم يغلبك مثل مغلّب *

يريد بذلك انه اشدّ ما على الانسان ان يفخر عليه فاخرٌ ضعيفٌ وان يغلبه مُغلّبٌ وهو المغلوب . . . . وقد صحّفه ابن زيدون فقال وفخر*) علىّ العاجز الضعيف فجعل الفاء عينا مهملةً والخا المعجمة جيما والرأ زايا وهو تصحيف حسن افاد المعنى قوةً بقوله عاجز

Haec sunt tria proverbia Arabum, quorum duo priora sunt versus (metri Thavil dicti) ex carminibus Imrul-Qaisi (vid: librum de Slanei: Diwan d'Amrolkais, pg. 23):

„Te autem adeo indecore nemo vincit quam adversarius debilis et mollis et nemo tam turpiter superat quam hostis victus.

His verbis significat, nihil turpius homini contingere posse quam ut debilis et impotens homo eum subigat et victus eum vincat . . . Ibn Zaidun in verbis citandis voluntarium commisit errorem, pro

---

*) Codex 1503 pro فخر habet فجز, quod etiam in comm. cod. 1504 legitur. Comm. cod. 1503 etiam versum Imrul-Qaisi sic citat:

* وانك لم يعجز عليك كعاجز *

* ضعيف ولم يغلبك غير مغلب *

et ultima verba ab me descripta partim omissa, partim mutata sunt.

Quo modo me victus vicit, debilis impotens me subegit, femina, cui nulla armilla, mihi alapas duxit?

Quare a me non recedes, antequam laceratum me assecutus sis? Nondum laceror!

فاخِرِ scribens عاجز, qui error pulcherrimus est, quum vis verborum verbo عاجز augeatur. (Cfr. Mehren, Rhetorik, pg. 190).

Aç-Çaf. (130 r.; 144 v.; 211): والمثل الثالث هو قولهم لَوْ غيرُ ذاتِ سوار نَطَمَتْني

Tertium proverbium hoc est: „Si femina, cui nulla armilla est, mihi alapam duxit". (Cfr. Freytagii Pr. II, 465 et 405, ubi laudatur alia forma proverbii, qua Ibn-Zaidun in epistola ad Abu Bekrum scripta usus est (pg. 15 h. l.): لَو ذاتُ سِوارٍ لَطَمَتْنى. Alterum proverbium significat, ignominiam ab ignobili femina factam tolerandam esse, alterum eam tolerari non posse, at alapam a femina nobili (i. e. cui armilla est) ductam ignominiae non esse.

**) Aç-Çaf. (130 v.—131 r.; 145 r.; 212): هذا الاستفهام معناه الإغراء والحضّ والحث على انجاده والسرعة الى انقاذه من هذه الشدّة

Haec quaestio vult illum excitare, incitare, exhortari ad juvandum et ad studendum, quo modo his malis eum liberet.

Verba, quae sunt: وتدركنى ولما امزق, sumpta sunt ex versu poetae Schas Ibn-Nahhari: [metrum est الطويل]

* فانْ كُنْتُ مأكولا فكن خيرَ آكلِ *

* والاّ فأدْرِكْنى ولمّا أمزَّقِ *

Si edar, utinam optimus edentium me edat, si non, me assequere nondum laceratum.

Poetae ob hunc versum cognomen „lacerati" (الممزّق) inditum est. (Aç-Çaf. pg. 131; 145 r.; 212; Kamus, ed. Bulaq Sacy, Anth. gramm. pg. 460). Versu Othman chalifa in epistola usus est, qua Alim, ut sibi auxiliaretur, imploravit (Aç-Çaf. l. l.).

وكيف لا تتصرّم جَوانحِ الأكفآء حسدًا التي على الخصوص بك · وتنقطعُ أنفاسُ النظراء مُنافسةً في الكرامة عليك · وَقَدْ زانني إِسمُ خدمتك · وزهاني وَسْمُ نعْمتك · [70]) وأُبليتُ البلاءَ الجميل في سماطك · وقمْتُ المقامَ المحمودَ على بِساطك · [71])

* أَلَسْنَ المُوالى فيك غُرّ قصائد *

* هى الأنجم اقتادت مع الليل أنْجُما *

* ثناء يُظَنّ الروضُ منه منوّرًا *

* ضُحىً ويخالُ الوشىُ منه مُسَهَّمًا * [72])

وهل لَبِسَ الصباحُ الا بُرْدَ أَنْزَرْتُه بفضائلك · وتقلّدت الجوزاءُ الا عقْدَ افصلته بمآثِرك · واستملى الربيعُ الا ثناءً ملأته من محاسنك · [73]) وبَثّ المِسكُ الا حديثا انعتُه في محامدك · ما يَوْم حَليمة [74]) بِسِرّ وإنْ كنتَ لم أكسك سليبا · ولا حلّيْتك عطلًا · ولا وسمتُك غُفلًا · بلْ وجدتُ أُجُرًا وجصًّا · فبنيتُ مكانَ القول ذا سَعَة [75]) فقلتُ 7 r.

---

[70]) Aç-Çaf. (148 v.; 217): هذا من باب المُغالَطَة والمُكابَرة وهو ضرب من سحر الكلام وهو ان يعترف المخاطِب لِمَن يريد استمالته الحنوّ عليه والانقياد له.

Haec ad categoriam decipiendi et extollendi pertinent, quo genere orationis, quod ad artes rhetoricas pertinet alloquens utitur, quum ei, quem sibi conciliare vult, affirmat, se eum amare ejusque voluntati obsequi.

[71]) Dozy: Supplément aux dict. ar. sub. voce بساط

[72]) Versus sunt Bohtori (Ed. Const. I, 59—60, ubi pro يظن et يخال legitur كأنّ).

Aut quo modo fieri potest, ut latera aemulorum invidia ob meam tecum necessitudinem non ardeant, utque animi eorum non succumbant inter se certando, ut tibi nobiles esse videantur! Quod me dicunt tibi servum fuisse, re vera me ornavit, signumque benevolentiae tuae mihi inustum me superbum reddidit. Maximis honoribus affectus sum in tuo convivio, mihique fuit locus laudatus in tua aula.

„Nonne tibi attuli splendidissima carmina,
Plejades, per tenebras noctis chorum stellarum ducentes,
Laudes, quibus videntur hortus splendere?
Apparent! videtur splendor esse vestis strictae."

Num Aurora aliud sibi induit nisi vestem, quam tuis ego beneficiis pinxi? Num Orion se ornavit nisi monili colli, quod tuis factis splendidis distinxi? Num ver aliud sibi quaerit nisi laudem, quam tuis benefactis implevi? Num alium odorem moschus spargit, nisi narrationem laudis tuae, quam ego divulgavi?

Non est dies Halimae secretum! Attamen tu talis eras vir, ut nullus mihi locus esset neque nudum vestiendi, neque nullis armillis praeditum ornandi, neque te ut solitudinem signandi; sed cum lateres et gypsum adessent, aedificium amplissimum encomii feci et hoc dixi: Longe a te absit, ut

---

[73]) Aç-Çaf. (152 v.; 223): وقد اتى بالجناس بين قوله استملى وملاته وهو جناس اشتقاقى

In verbis استملى et ملاته paronomasia utitur, quae est paronomasia derivationis. (Cfr. Mehren, Rhetorik der Araber, ٨٧ et 159 f).

[74]) Halima, filia Alharitsi Ibn Abi Schamri, regis Arabum Syriae, in proelio celeberrimo, in quo Ibn-Maissemai, rex Iraqae, occisus est, milites patris sui ad pugnam excitavit, unde proelium more Arabum dies Halimae appellabatur. Proverbium in omni re nota et manifesta adhibetur. Freytag, Pr. II, 150 et 611.

[75]) Aç-Çaf. (141 v.; 155 v.; 229—30): يعنى انه لا فضّل لى فى مدائحك لأنّنى فيها كمَنْ وجد اجرّاً وجصّا فبنى بيتا من ذلك

حاش لك*) ان أُعَدّ من العاملة الناصبة.⁷⁶) واكون كالذُبالة المَنْصُوبَة.

* تُضِيءُ للناسِ وَهِيَ تحترق *⁷⁷)

فلك المثل الاعلى.⁷⁸) وهو بك وبي فيك أولى.⁷⁹) ولَعَمْرِك ما جهلتُ انّ صريحَ الرأى ان اتحوّل. اذا بَلغَتْنى الشمسُ ونبا بى المنزل.⁸⁰) واصْفَحَ عن المَطَامِع التى

*) In comm. cod. **1503:** لله

Sententia ejus haec est: Mihi nulla laus debetur, quod te laudavi, quippe qui similis sim hominis, qui ex lateribus et gypso inventis aedificium struxit.

Aç-Çaf. (141 v.—142 r.; 156 r.; 230): وقوله مكان القول ذا سعة وهو معطوف على قوله بل وجدت اجرًا وهو يشير بهذا الى قول ابى الطيّب

* وَقد وَجَدتَ مَكانَ القَوْلِ ذا سَعَةٍ *

* وَإِن وَجَدتَ لِساناً قائلا فَقُلِ *

Verba quae sunt مكان القول ذا سعة **cum verbis** بل وجدت أجرًا **conjuncta spectant versum Abul-Taijibi:**

„Invenisti locum dicendi amplissimum. Si linguam tibi non deficientem habes, dic"!

(Mutanabbii carmina, ed. Dieterici, pg. 491, ubi pro مكان **legitur** مجال **materiem dicendi)**

⁷⁶) **Aç-Çaf. (143 r.; 157 r.; 232):** يشير بذلك الى قوله تعالى وُجُوهٌ يَوْمَئِذٍ خَاشِعَةٌ عَامِلَةٌ نَاصِبَةٌ

His verbis laudat verba Qurani (88, 2—3): „Quo die facies humiles, laborantes, afflictae erunt".

⁷⁷) **Aç-Çaf. (1503: 144 r.; Leid. 157 v.):** يشير بذلك الى قول العباس بن الاحنف

ego inter laborantes afflictosque numerer, atque sim filum in candela positum,

„quod hominibus lucens flammis consumitur“.

Tibi soli fas est cum altissimis rebus comparari, et hoc tibi convenit et mihi quoque de te hoc dicenti.

Certe per vitam tuam! satis scio optimum mihi consilium esse abeundi, quum sol me attigerit domusque mihi mea incommoda sit; ego relinqvam ergo cupiditates, quae

---

* أحّرم منكم بما اقول وقد *
* نال به العاشقون من عشقوا *
* صرتُ كأنّى ذبالة نصبَتْ *
* تُضئُ للناس وهى تحترقُ *

His verbis laudat quae dicit Al-Abbas Ibn Ul-Ahnaf: „Mihi interdicitis, ne haec dicam quae dico, quibus tamen amantes amatas saepe donaverunt. Sum quasi filum, quod in candela positum hominibus lucens flammis consumitur“.

Metrum est المُنْسَرِح

Al-Ahnaf mortuus est anno 192 (807--8). Ibn-Khallikan, transl. by Slane, II, pg. 8. De versibus hic laudatis cfr. Kitab-al-Aghani, Ed. Bulaq., VIII, 24. In Freytagii Pr., II, 358 laudatur simile proverbium.

78) Aç-Çaf. (144 v.; 158 v.; 235): يشير بذلك الى قوله تعالى وله المَثَلُ الاعلىَ فى السَّمَوَاتِ والأَرْضِ

Laudat verba Qurani (30, 26): Hic solus cum altissimis rebus caeli et terrae comparandus.

79) Aç-Çaf. (144 v.; 158 v.; 235): ما احسن قوله وهو بك وبى فيك اولى كانه يقول هو بك اولى وهو بى كذلك اذا كان فيك

Quam pulchrum est dictum ejus: „et hoc tibi convenit et mihi quoque de te hoc dicenti“. Dicere vult: hoc tibi convenit, et mihi

* تقطّع أعْناقَ الرجال. . . . . * [81])

فلا أستوطِئُ العَجْزَ [82]) ولا أطمئنّ الى الغرورِ. ومن الأمثالِ المَضْروبةِ خامِرِى. أُمّ عامِرٍ. [83]) وإنّى مَعَ المَعْرِفةِ بأنّ الجلاء سباء. والنُقْلَةُ مُثْلَةٌ [84]) ومَنْ يغترب عن قومه لم يَزَل يرى

* مَصارِعَ مظلومٍ مَجَرًّا ومسحبا *

* وتُدْفَنُ معه الصالحات وإنْ يُسِئْ *

* يكن ما أساء النارُ فى راس كبكبا * [85])

عارف بأنّ الأدبَ الوطَنُ لا يُخشى فِراقُه. والخَليطُ لا يتوقع زيالُه. [86])

---

eodem modo res se habet, si quidem tua res agitur.

Epistolam hinc usque ad finem Ibn Bassam (f. 88 v. sq.) laudat, sed multa in codice Parisino omissa, multa prave scripta sunt.

80) Aç-Çaf. (145 r.; 159 r.; 235): وهو يشير بذلك الى قول ابى تمام من قصيدة يمدح بها محمد بن عبد الملك الزيات

* وإنّ صريح الرأى والحزم لامرء *

* اذا بلغته الشمس ان يتحول *

Laudat verba Abu-Tamami poematis (metrum est الطويل) in laudem Muhammed Ibn Abdul-Malik Az-Zijati scripti:

„Optimum consilium et providentia viri est tergum dare, quum sol eum attigerit“.

De Abu-Tamamo [† 231 (845—46); Ibn-Khallikan, transl. by Slane, I, 353] et Ibn-Az-Zijato veziro [† 233 (847); ibid. I, 69—70 et 73 n—34] vid. ibid. I, 352.

81) Aç-Çaf. 146 v; 160 r.; 238): يشير بهذا البيت الى قول البعيث المجاشعى

* تقطّع اعناق الرجال المطامعُ *

Laudat in hoc versu verba (metrum est الطويل) Albaitsi Al-Mudschâschiitae (de quo vid. Hamasa, ed. Freytag, I, 183 et II, 1, 327): „Cupidines colla virorum frangunt“.

„colla virorum frangunt“,

sed debilitatem mollem non praeferam, neque in rebus vanis spem meam ponam.' Proverbium vulgatum est: absconde te, o hyaena! Etsi exploratum habeo exilium esse carcerem et migrationem esse poenam, quae in exemplum sumatur, eumque, qui gentem suam reliquerit, semper ante oculos habere

„fortunam iniquam viri omnibus modis injuria oppressi, ab quo bonae res recedunt; si quid prave commisit, hoc fit quasi ignis in summo Kabkabo“.

pro certo scio, doctrinam esse habitaculum, quod ne relinquendum sit, nihil est cur timeas, societatem, quae non solvatur, affinem, qui non dure tractandus sit, pulchritudinem,

---

Aç-Çaf. (147 r.; 160 r.; 238): وقال الاصمعىّ سمعتُ اعرابيا يقول انّ الأمل قطّعت أعناق الرجال كالسراب غرّ مَنْ راه وأخلف من رجاه

Dicit Alasmaji: audivi beduinum dicentem: Spes frangit colla virorum ut fata morgana; qui eam videt, decipitur, qui spem in ea ponit, promissa ejus falsa invenit.

Alasmaji † c. ann. 828. Flügel, Die gramm. Schulen der Araber, pg. 78

Hoc proverbium inter proverbia ab Freytagio edita non est; de aliis proverbiis, quorum vis fere eadem est, vid. Freytagii Pr. II, pg. 215.

[82]) Cfr. Freytagii Pr. II, 139: „العاجز وطىّ debilitas est mollis. De eo dicitur, qui ignaviae indulget, ut victum sibi non quaerat et laudem sibi non paret, aut qui litem timens rem sibi debitam non postulet“.

[83]) Cfr. Freytagii Pr. I, 431—32: Hyaena stulta habetur. Proverbium de eo dicitur, qui omnes res ob timiditatem suam timet, aut potius de eo, qui ob incuriam se decipi patitur.

[84]) Cfr. Freytagii Pr. II, 798.

[85]) Aç-Çaf. (1504: 164 r.; Leid. 244) tradit, hos versus esse poetae Orvae Ibn Alvardi aut Al-Aschai, quorum uterque eodem tempore ac propheta vixit. Kabkab est mons ad Arafatam situs prope Mekkam. Cfr. Jacut, IV, 233.

[86]) Aç-Çaf. in supplemento commentarii sui (cfr. n. 44 a) scripsit: „Hoc non bene se habet, neque intelligi potest, quippe quum omnes timeant, ne habitaculum suum deserant. Aperte Ibn-Zaidun vult dicere,

والنَّسيب لا يُجفى. والجَمالُ لا يُخفى. ثُمَّ ما قِران*) السعد للكوكب ابهى أثرًا. [87]) واسنى**) خطرًا. من اقتران غِنَى النفس به. وانتظامها نَسَقًا معه وانّ الحائز لَهما. الضاربُ بسهْم فيهما. وقليل ما هُمْ. اينما توجّه وَرَدَ مَنهَل بِرّ وحطّ في جناب قبول. وضوّحك قبل انزالِ رحلِه. واعطى حُكم الصبيّ على اهله.

* وقيل له اهلا وسهلا ومرحبا *

* فهذا مبيت صالح ومقيّل * [88])

---

*) In Par. 1504 ubique اقتران

---

homines emigrationem ex habitaculo evitare, et timere, ne amicitia iis deficiat, sed lapsu calami scripsit يخشى pro يجتنب et adjecit لا; sequitur enim غير ان الوطن محبوب الخ

[87]) Aç-Çaf. (164 v.; 245—6): واما قول ابن زيدون رحمه الله تعالى ثم ما قران السعد للكوكب ابهى اثرا فماخوذ من قول ابى الفتح البستى

* واتمّ الاشياء نورًا وحسنا *

* بكر شكرٍ زفّت الى صهرِ برّ *

* ما قران السعدين في الحوت ابهى *

* منظرا من قران برّ وشكر *

Verba Ibn-Zaiduni originem ducunt ex verbis Abul-Fath Al-Bustii (metrum est الخفيف):

Splendidissima et pulcherrima res est
Sponsa gratitudinis, quae ad maritum pietatis ducitur.
Non est conjunctio Jovis et Veneris in Piscibus pulchrior
Visu quam conjunctio pietatis et gratitudinis.

Abul Fath Al-Busti Bucharae mortuus est anno 400 aut 401. Ibn-Khallikan, transl. by Slane, II, 314—15.

quam nihil celet, immo conjunctio felix stellarum non pulchrior splendore neque gloria eminentior est quam conjunctio animi divitis et bene ordinati in eodem viro. Vicit, cui utrumque evenit, et fortunatus est; sed hoc rarissimum; ubicunque versatur, venit ad fontem pietatis et in terram hospitalem descendit, „tibi propinant antequam te in habitaculum suum intrare sinant, teque tractant ita, ut juvenis generosus familiam suam".

„Eique dicitur: salveto, optatus ades!
Hic locus pernoctandi probus et fortunatus.

**) 1503: In textu ولا اثنى; in comm. (pg. 151 r.): ولا اسنى معه; etiam in textu cod. Leid. معه post اسنى inseritur.

---

88) Aç-Çaf. (152 r.—153 v.; 165 v.; 247): ضوحك قبل انزال رحله اشارة الى قول عمرو بن الأهتم المنقرى والذى اعرفه من هذا البيت انه

* فقلت له اهلاً وسهلا ومرحبا *
* فهذا مبيت صالح وصديق *

وقوله وضوحك قبل انزال رحله من قول عمرو بن الاهتم

Verba quae sunt ضوحك قبل انزال رحله, spectant verba Amru Ben Al-Ahtam Al-Minqari. Versus, nisi fallor, hic est:

„Ei autem dixi: salveto! optatus ades! hic locus pernoctandi probus et perfectus".

Verba ejus: وضوحك قبل انزال رحله sunt Amru Ben Al-Ahtami († 57 p. f. p. Vid. Rasmussen: Additamenta ad historiam Arabum, pg. 33. De versu فقلت له cfr. ejusdem libri pg. ٣٧ et p. 34.)

Aç-Çafadi (cod. Leid. 249): وقوله واعدنى حكم الصبى على اهله كانت العرب تقول نزلنا على فلان فجعل لنا حكم الصبى على اهله

غير أنّ[89]) الوَطَنَ محْبوب· والمنشا مَأْلُوف واللبيبَ يَحِنُّ الى وَطَنِه· حنينَ النجيبِ الى عطنه· والكريمَ لا يجفو ارضًا فيها قَوَابِلُه· ولا يَنْسَا بَلَدًا فيها مَراضعُهُ·[90]) كما قيل[91])

* أَحَبُّ بلادِ اللهِ ما بين مَنْعِجٍ *
* إلىّ وسلمى[92]) أن تَصُوبَ سحابُها *
7 v. * بلاد بها حقّ الشبابَ تمائمى *
* وأوّل أرضٍ مسّ جِلدى تُرَابُها *

هذا الى مُغالاتى بعلق جوارك· ومُنافستى بلحظة مِن قربك· واعتقادى أن الطمع فى غيرك طبع·[93]) والغناء ممن سواك عناء والبدل منك أعْوَرُ[94]) والعِوَض لَفاء

Quod ad verba ejus attinet: „teque tractat eodem modo, ac juvenis familiam suam“, Arabes dicunt: Apud aliquem devertimur, nosque eodem modo tractat, ac juvenis familiam suam.

89) Aç-Çaf. (1503: 158 v.; Leid. 249): اخذ الان فى نقض ما قرّر من انّ الادب لا يخشى من فراق الوطن وما عطف عليه من تلك الجمل

Incipit hic censuram agere verborum, quae scripsit: doctrinam esse etc. et sententiarum, quae sequuntur.

90) Aç-Çaf. (1503: 155 r.; Leid. 252): وقوله والكريم لا يجفو ارضا فيها قوابلها فى الامثال المضروبة لا تَجْفُ ارضا بها قوابلك ولا تنس بلدًا فيها قبائلك

Quod dicit: „vir nobilis non inique tractat terram, in qua obstetrices ejus habitant“, spectat proverbium vulgatum: Ne inique tractaveris terram, in qua obstetrices tuae habitant, neve oblitus sis terrae tribuum tuarum.

91) Sic in textu codicis 1503: in commentario ejus codicis et in textu et commentario cod. 1504 et Leid. est: قال الاول, quae verba suspicor textui irrepsisse eo, quod scriptor commentarii adnotat (cod. 1503: 155 v.) versus Ibn Zaiduni in memoriam revocare aliud dictum:

— nisi quod domus amatur et loca assueta sunt, et prudens vir suam amplectitur domum eo amore, quo praestans camelus amat locum, ubi satiatus requiescere solet; vir nobilis non inique tractat terram, in qua ejus obstetrices habitant, neque obliviscitur terrae, ubi lac matris bibit. Est, ut dicitur:

„Pars terrae dei illa mihi dilectissima
Inter Manidschum et Sulmam sita est ubi nubes pluvias emiserunt;
Terra, in qua adolevi sub tulela telesmatum,
Prima terra, cujus pulvis tetigit corpus meum.

Huc accedit, quod plus aequo tuae adhaesi protectioni modumque excessi in nictu oculi ex tua propinquitate appetendo. Mihique persuasum est, vitium esse alium quam te appetere, molestum alium quam te colere, si quem forte pro te haberem, eum vilem pro te vicarium et parvi pretii fore.

وهذان البيتان يشبهان قول الاخر من الاعراب (Metrum Thavil est)

* ذكرتُ بلادى فاستهلّتْ مدامى
* لشوقى الى عهد الصبى المتقادم *
* حننتُ الى ارض بها أخضرّ شاربى *
* وقُطِع عنّى قبل عقدُ التمائمِ *

[92]) In Nedschd sita. Cfr. Jacut (Geogr. Wörterbuch, ed. Wüstenfeld, IV, 666) Ibid. versus laudantur paucis mutatis.

[93]) Aç-Çaf. (1503: 156 v.; Leid. 254): واعتقادى ان الطمع فى غيرك تبع هذا يعدّ بعض ارباب البديع فى التجناس المُطمِع وهو ما اذا فرِغ من ركنه الاوّل وابتدى فى الثانى*) أطمع السامع انه متّفق لحروف الاول

*) In cod.: 1503 hic explicatio profusior sequitur.

* واذا نظرتُ الى اميرى .زادنى *

* ضنًا به نظرى الى الامرآء * [95]

كُلُّ الصَّيْدِ فى جَوْفِ الفَرَا. [96] وفى كلّ شجرٍ نار. واستمجد المَرْخُ والعَفار. [97] فما هذه البراة ممّن يتولاّك. والميل عمّن لا يميل عنك. وهلّا كان هواك فيمَنْ *) هواه فيك. ورضاك لِمَنْ **) رِضاهُ لك.

* يا مَنْ يَعِزّ علينا أن نُفارِقَهُمْ *

* وِجْدانُنا كلّ شىء بَعْدَكُمْ عَدَمُ * [98]

أُعيذُك ***) ونفسى من أن أشيمَ خُلّبًا. وأسْتمطِر جَهَاما. [99]) وأُكْرِم غيرَ مكرم. [100]) واشكو.

*) 1508: هواك من.

**) 1503: فيمَن.

Rhetores sunt, qui haec paranomosiae quaesitae adnumerent, in eo sitae, quod lector vult alteram partem sententiae singulis litteris cum altera convenire. (Cfr. Mehren, Rhetorik, pg. 159 e).

94) De proverbio, quod est بَدَلٌ أَعْوَرُ (sic in cod. Leid. 256) cfr. Freytagii Pr. I, 149, ubi legitur: بَدَلٌ أَعْوَرَ

95) Aç-Çaf. (1508: 158 r.; Leid. 257): وهذا البيت الذى اورده ابن زيدون رحمه الله تعالى هو لعدى بن الرِقاع

Versus, quem Ibn-Zaidun laudat, est Adii Ibn-Al-Riqai (Al-Valid Ibn Abdul-Maliko regnante vixit. Ibn Khall. transl. by Slane, IV, 203).

96) Freytagii Pr., II, pg. 316: „De eo dicitur, qui sociis praestat, ut multorum loco sit".

97) Freytagii Pr. II, pg. 208: „Proverbio utuntur significaturi, unam rem alteri praeferendam esse".

98) Versus est Mutanabbii. Vid. editionis Dieterici pg. 484, ubi sic explicatur: يا من يشتدّ علينا فراقهم كلّ شىء وَجَدْناه بعدكم

Quum meum regem respicio, avide ejus studiosus,
Satis mihi est regum.

Omnis praeda in ventre onagri est, in omni arbore est ignis, sed multum ignis arbores March et Affar continent. Qvo modo abire potes ab viro, qui te amicum suum fecit, et recedere ab eo, qui a te non recessit? Nonne tu eum amas, qui te amat? nonne es contentus eo, qui te contentus est?

„O vos, quos durum nobis eret relinquere, omnia post vos vana invenimus“!

Obsecro te per animum meum, ne observem fulmen, quod pluviam non afferat, neve a nube sterili pluviam petam, neve honore privatum honore afficiam et querar,

---

***) Sic in commentario 1508. ·In textu اعيذك, in ceteris cod: اعينك

فوجوده عدم يعني لا يخلفكم أحد ولا يكون لنا منكم بدل

O vos, quos nobis durum erat relinquere; omnia vobis relictis experti omnia vana invenimus. Dicere vult: nemo vobis apud nos succedere potest neque vestra vice fungi.

99) Pluviae nomine notum est poetas Arabes beneficia significare.

100) Aç-Çaf. (1508: 161 v.; cod. Leid. 263): هو ماخود من قول زهير ابن ابى سلمى

* وَمَنْ يَغْتَرِبْ يَحْسَبْ عَدُوًّا صَدِيقَهُ *

* وَمَنْ لا يُكَرِّمْ نَفْسَهُ لا يُكَرَّمِ *

Laudat verba Zuhairi Ibn Abi Sulmae. (Vid. Septem Muallakat, ed. Arnold, pg. 88. Metrum est الطويل):

„Qui ab hominibus remotus vivit, inimicum amicum esse putat; qui se non ipse honorat, honore dignus non habetur“.

* شَكْوَى الجريحِ الى العِقْبانِ والرَّخَمِ[101])

فما أَبْسَسْتُ[102]) بك الّا لِتَدِرَّ· وحَرَّكْتُ لك الحُوارَ· الّا لِتَحِنَّ[103])
ونَبَّهْتُكَ· الا لِأَنامَ[104]) وسَرَيْتُ لك*)· الّا لِأَحْمَدَ السُّرَى لَدَيْكَ·[105])
وانّك إِنْ سَنَّيْتَ عُقْدَ أَمْرِى تَيَسَّرَ·[106]) ومَتَى أَعْذَرْتَ فى فكّ أَسْرِى
لَمْ يَتَعَذَّرْ· وعِلْمُكَ مُحِيطٌ بانّ المعروفَ ثَمَرَةُ النِّعْمَةِ· والشفاعةُ زَكوةُ
المُرُوَّةِ· وفضل الجاه تعود به صنيعة· كما قيل

* واذا آمْرُءٌ أَهْدَى اليك صنيعةً *

*) In textu cod. 1503: اليك

Aç-Çaf. (162 l.; 166 r.; 263): هذا الذى ظهر لى من قول ابن زيدون ويحتمل انه اراد كدمتَ غير مكدم بالدال المهملة لا الرا وهو مثل من امثال العرب يقولون كَدَمْتَ غَيْرَ مَكْدَمٍ . . . . يضرب لمن يطلب شياء غير مطلبه*)

Hoc est, quod Ibn-Zaidun mihi videtur scripsisse. Sed fieri potest, ut significet: كدمت غير مكدم (momordisti ubi nullus locus mordendi est), quod est proverbium Arabum, qui dicunt: كَدَمْتَ غَيْرَ مَكْدَمٍ de eo, qui rem quaerit, ubi nihil reperiri potest. Cfr. Freytagii Pr. II, pg. 322.

101) Versus est Mutanabbii (ed. Dieterici, pg. 722, ubi legitur: الغِرْبان). Vis verborum est: Querimonia, quae non plus valet, quam si vulneratus queri vellet cum avi, quae mortem ejus prospectat, ut eum devoret. (In ed. Dieterici, l. l.: والشكوى الى الناس يكون كشكوى المجروح الى الطير التى ترْقب ان يموت فتأكله).

102) Aç-Çaf. (1503: 162 r.; Leid. 263): الابساس عند الحلب ان يقول

*) Verba ab يضرب usque ad finem non nisi in codicibus Leid. et Par. 1503 leguntur.

„ita ut vulneratus queritur cum aquilis et vulture".

Te quum mulgerem, non demulsi, nisi ut lac copiosum emitteres, neque tibi pullum camelae admovi, nisi ut desiderio afficereris, neque te expergefeci, nisi ut dormirem, neque ad te profectus sum, nisi ut viam coram te laudarem. Si tu solveris nodos rei meae, facilis erit, si tu operam posueris in meo carcere recludendo, nulla erit difficultas. Tu optime cognovisti beneficium esse fructum divitiarum, deprecationem esse eleemosynam generositatis et generositatem dignitatis sequi donum munificentiae ut dicitur:

„Si quis tibi ex dignitate sua beneficio affecerit,

للناقة الحلوب بَسْ بَسْ ... وفي الامثال الايناس قبل الابساس

الابساس est, quod mulgens inter mulgendum camelae dicit: Bes, Bes! . . . Proverbium est: „Mansuefacias, antequam demulces" (Freytag, Pr. I, pg. 94—95).

[103]) Aç-Çaf. (1503: 162 r.; Leid. 264): والحوار ولد الناقة وفي الامثال حَرِّك لها حُوارَها تَحِنّ

الحوار est pullus cameli. Proverbium est: Move ei (camelae) pullum ejus parvum, desiderio ejus adficietur.
Vid. de hoc proverbio Freytagii Pr. I, pg. 340.

[104]) Ibn-Zaidun spectat versum Baschschar Ibn Burdi. فنبّه لها عَمرًا ثمّ نَمْ. Cfr. Ibn-al-Athiri Chr. ed. Tornberg, V, 387.

[105]) Aç-Çaf. (163 v.; 166 r.; 264) adnotat, hoc proverbium originem ducere a dicto Chalidi, de qua re vid. Freytagii Pr. II, pg. 70—71.

[106]) Hoc spectat ad dictum Muaviae chalifae (اذا اللّه سنّى عقْدَ أمْرٍ تيسّر), quod est versus Baschschar Ibn Burdi († 168 = 784—85). Metrum est Thavil.

* مِن جاهه فكأنّها من ماله *[107])

لعلّني ان أُلقى عَصَاىَ*) بذراك. وتسْتقرّ لى النَّوى فى ظَلّك. وأستأنف
التأدّب بادبك. والاحْتمال على مذهبك. فلا أُوجِد للحاسد مَجالَ
8 r. لَحْظة. ولا أدع لِلقادِح مَسَاغَ لَفْظة.[108]) والله ميسّرك من اطلابى
بهذه الطلبة. واشكاى من هذه الشكوى بصنيعة. تصيب منها
مكان المصنع. وتستودعها أحْفَظَ مستودع. حَسْبُما انت خَلِيقٌ
لَه. وانا منك حرىّ به. وذلك بيده وهيّن عليه. ولمّا[109]) تَوالَتْ
غرر هذا النثر واتّسقت دُرَرُه فهزّ عطف غُلْوائه. وجرّ ذيل خَيْلآئِه.[110])
عارَضَه النظمُ مُباهيًا. بل كايَدَه مُداهيا. حين أَشفَقَ مِنْ ان
يُعَطِّفَك استعطافه. ويميلَ بنفسك إلطافُه. فأسْتحسن العايدةَ منه.
واعتدّ بالفائدة له.[111]) وما زال يستكدّ الذهن العليل. والخاطر

*) 1503: in textu: العصا

[107]) Versus est poetae celeberrimi Abi Tamami Taijensis. (Aç-Çafadi 1503: 168 v.; Leid. 275).

[108]) Aç-Çaf. (1503: 173 v.; Leid.: 287): ومعناه اذا اتّصفتَ بهذه الاحوال
لا يجد الحاسدُ مدارً لحظة ولا الطاعن فى عرضى ما يسوغ
من لفظة

Vis sermonis ejus haec est: Quum res meae sic se habeant, invidiosus nullum locum quidquam videndi inveniet, obtrectator meus nihil habebit, quod per gulam suam demittere possit.

[109]) Aç-Çaf. (178 r.; 168 v.; 290): جواب لمّا ياتى فيما بعد وهو
قوله عارضه النظم

[110]) Aç-Çaf. (1503: 178 r.; cod. Leid: 290): والعادة جرت بان الناثر لا

Non secus erit, acsi quid ex suis opibus tibi dedit".

Fortasse tentoria mea sub tua tutela figam, habitaculum meum sub umbra tua ponam, doctrinam meam ab tua doctrina incipiam, vitam tuam imitabor, et tum nullum invidioso dabo locum quidquam videndi, nullum sinam obtrectatorem verbum per gulam demittere.

Deus te prosperet ob id, quod tu mihi hoc petenti annuis meqne hoc malo liberas beneficio, quo rectum locum juvandi assecutus es, inque loco tutissimo beneficium tuum deposuisti, quoniam tu es dignus qui des, egoque dono abs te dato dignus. Et hoc in manu ejus est eique facile.

Postquam stellae hujus prosae orationis altera alteram secutae sunt et uniones ejus coordinati, ita ut ardorem suum juvenilem excitaverit et clavum superbiae traxerit, poesis prodit ei pulchritudine aemulans, immo vero astutia eam superans, quum timeat, ne prosae oratio conatu suo tibi persvadendi te flectat et tibi blandiens te secum trahat; fructum sibi optimum speret et utilitatem sibi computare liceat;

neque desiit ab mente morbo affecta et animo hebete

يصف رسالته بحسن ولا يثنى عليها بخلاف الشاعر فانّه له ان يقرظ قصيدته وهى على فضلة الفاظها وبلاغة معانيها وينبّه على محاسنها وهذا امر قد استفاض بين الادباء أمْره وتقرّ عند البلغاآ ذكْره

Mos est prosae orationis, scriptorem epistolam suam non ob pulchritudinem extollere neque eam laudare. At contra poetae interest laudare suum poema ob verborum ejus redundantiam et significationum eloquentiam, et locos pulchros ejus celebrare, quae res jam viris doctis satis innotuit et apud rhetores constat.

[111]) Aç-Çaf. (179 v.—180 r.; 169 r.—v.; 292—93): وهذا الكلام اخرجه مخرج التوكيد لاستعطاف ابن جهور وميل نفسه الى

الكليل.[112]) حتى زفّ اليك منه عروسًا مجلوة فى اثوابها· منصوصة بحليها وملابسها[113])☆

وهى هذه الابيات

* الهوى فى طلوع تلك النجوم *

* والمُنى فى هبوب ذاك النسيم *

* سرّنا عيشُنا الرقيق الحواشى *

* لو يدوم السرور للمستديم *

هذا النظم وقبوله له وانّه صادف من قلبه موقعًا فكانّ هذا الامر صار وانفصل حكمه*) وهذا من باب قولك غفر الله له ورحمه الله . . . . وما احسنَ ما أتى بهذه الالفاظ فى حقّ النظم وانه هو الذى يُبلغه المقصود لا النثرِ وان كان قد اتى فى هذا النثرِ بما هو السحرِ الحلال والخدعة الخ

Hac oratione utitur, ut melius Ibn-Dschahvarum sibi conciliet et eum ad carmen, quod sequitur, inclinet, et eum propensum ad id legendum reddat; locum cordis ejus tetigit modo optativo per perfectum indicativi expresso, acsi quis dicit [perfecto tempore utens]: deus peccata ejus condonet, aut: deus erga eum misericors sit. . . . Quam pulchra sunt ea, quae hic de poesi profert: poesis, non prosa oratio, propositum consequitur — etsi is certe jam in prosa oratione hujus epistolae omnes artes magicas honestas adhibuit etc.

[112]) Aç-Çaf. (180 r.; 169—70; 293—94): ثم ان ابن زيدون يصرّف ما عاينه من الشدّة وكابده من العناء فى نظم هذه القصيدة التى سوف يوردها

Ibn-Zaidun commemorat molestias et labores, quos sustinuit in poemate componendo.

*) Haec verba (وانه — حكمه) desunt in 1503.

petere, ut molestiam suscipiat, donec ad te ducat sponsam, remoto velo nitentem in vestibus suis, ornamentis et odoramento praeditam.

Hoc est carmen[114]), quod sequitur:

1. Amor est in ortu harum stellarum,
desideria in flatu illius aurae.

2. Nos laetitia affecit vita nostra, rebus omnibus bonis praedita —
dum modo perpetua esset laetitia ei, qui eam perpetuam vult —

---

[113]) Aç-Çaf. (1503: 180 v.; Leid. 295): وقد ادّعى ابن زيدون رحمه الله تعالى انه قد زفّ اليه عروسا من نظمه وهى القصيدة الميميّة فى اثوابها وحليها وملابها اراد بالثياب الفاظها لانه تخيّر لها الفاظا فصيحةً عذبة التركيب عارية من الالفاظ الغريبة الحوشيّة*) التى ينبو عنها السمع واراد بالحلى المعانى التى قصدها فانها بليغة كانها انواع الجواهر التى يضمها الحلى واراد بالملاب ما فيها من الثناء لان الثناء يوصف بالطيب على ما هو مشهور فى العرف

Ibn-Zaidun affirmat, se ei adduxisse sponsam poesis suae, hoc est poema in litteram Mim desinens, vestibus, ornamentis, odore insigne. Vestes quum nominat, verba vult significare, quippe qui elegerit verba plena eloquentiae, dulce ad compositionem sonantia, nullis immixtis verbis non convenientibus neque obscuris, quae auditu foeda sunt. Ornamentis significat significationes, eloquentiae plenas, velutsi sint uniones, quos ornamenta conjungunt; odor est laus, quae in poemate continetur, quum laus odoramento significetur; hoc modo scriptores „odore“ uti notum est.

[114]) Metrum est الخفيف

---

*) 1503): الوحشية

* وطَرٌ ما انقضى الى ان تقضّى *
* زمن ما ذمامُهُ بالذميمِ *

* اذ ختامُ الرِضَى المُسْتَودعِ (?*) مِسكٌ *
* ومزاج الوصال من تسنيمِ *

* وعريض الظلال غصن جنىّ اذ — *
* صبو نشوان من سلاف النعيم *

* ضال ما نافر الهوى منه غرّ**) *
* لم يكن***) عهد جيده بالتميم *

* زار مستخفيًا وهيهات ان يخ — *
* فى سنا البدر فى الظلام البهيم *

* فوشى التحلّى اذ مشى وهفا الطي — *
* بُ الى حبسٍ كاشحٍ بالنميم *

* ايها المؤذينى بظلم الليالى *
* ليس دهرى بواحد من ظلوم *

* ما ترى البدرَ انْ تأمَّلتَ والشم — *
* س كما يكسفان دون النجوم *

*) Textus corruptus est; in metro enim vitium.

**) Sic in apogr. Bernsteinii; in meis codicibus est: منه غريم

***) 1503: يمطل

3. res, cui finis non ante erat, quam
desiit tempus, cujus onus non vituperandum erat —

4. quo tempore sigillum gaudii Paradisi excelsi
erat moschus cum aqua pura amoris ex fonte Tasnimi [115]),

5. et opacus erat viridis ramus amoris,
vino Paradisi ebrii.

6. Sed nunc jam diu est, quum amor fugit et delusit,
cujus pactum non firmum mansit.

7. Occulte visitavit — sed longe absit
splendor occultus lunae tenebris obscuris.

8. Etiam quum discessit, splendor ejus apparet,
et tus penetrat usque ad carcerem,
odio obtrectationis plenum.

9. O! tu, qui me enecari sinis tenebrosis noctibus,
non mea dies sola est injusta! [116])

10. Quid judicas de luna et sole, si consideras,
ut ii defectum patiantur secus ac stellae?

---

[115]) Cfr. Qur. 83, 26—27.

[116]) Weijers [in cujus libro laudantur versus 1, 2, 3, 9, 10, 11] pg. 111, n. 155: Quae in posteriore hemistichio leguntur verba, dictio sunt proverbialis, qua quis significat, non se solum contra quam mereatur a fortuna opprimi.

* وهو الدهر ليس ينفكّ ينحو *
* بالمصاب العظيم نحو العظيم *

* فنوى الله جهورًا اشرف السو — *
* دد فى السّرّ واللُّباب الصميم *

* واحد منهم*) الجميع له الام — *
* رُ**) فكان الخصوص وفق العموم *

* قلّد الغمْرُ ذا التجارب منه *
* واكتفى جاهل بعلم عليم *

* خطر يقتضى الكمالَ بنوْعَى *
* خُلُق بادعٍ وخَلْقٍ وسيمِ *

* أيُّهذا الوزيرُ ها أنا أشكوا *
* والعصا بدْءُ قَرْعها للحليم *

* ما غنا ان يألف السابقُ المرِ — *
* بحَ فى العنف له والتطهيم *

* وثَوَاءُ الحسام فى الجفن يثنى *
* منه بعد الامضاء والتصميم *

---

*) 1503: سلّم

**) Ibn-Bassam: المعضل

11. Tempus tale est, quod non desinit magnam
calamitatem inferre praestantissimo cuique.

12. Deus servet Dschahvarum, cui cor
et stirps nobilissima est.

13. Unus instar omnium, ei est potentia —
pars est pro toto.

14. Nobilitas et experientia in eo conjunctae sunt,
inscius doctrina scientis contentus est.

15. Res gravis flagitat, ut homini utrumque sit:
et mores nobiles et forma pulchra.

16. O vezire! Querimonias meas audi,
nam baculus jam viro prudenti pulsatur [117].

17. Quid prodest, equum, in stadio victorem,
in stabulo stare vinctum et pinguem fieri,

18. gladiumque, qui penetravit et perforavit,
in vagina reconditum laudari?

---

117) Cfr. Freytagii Pr. I, pg. 55.

* أَفَصبرُ مئين خمس من الآيّ —*
* امِ ناهيك من عذابٍ أليم*) *

* ومُعنّى من الصبى بهناة *
* نكأتْ بالكلوم قرْحَ الكلوم *

* سقَم لا اِعادَ منه وفىِ العا — *
* ئد أنس يفى براءَ السقيم *

* نار بَغْى سعى الى جنة الأم — *
* ن لظاها فاصبحَتْ كالصريم *

* بأبى انت انْ بشانك بَرْدًا *
* وسلاما كنار اِبْرهيم *

* المشفيع الثناء والحمد فى صو — *
* ب الحيا للرياح لا نلغيوم *

* وزعيمٍ بأن يذلّ لىَ الصع — *
* بُ فيأتى الى الهمام الزعيم *

* ووداد يغيّر الدهرَ ما شا — *
* ءَ ويبقى بقاء عهد الكريم *

*) Ordo verborum (مئين خمس) insolitus est, sed scripturam firmat versus Ibn-Zaiduni (Journal Asiatique, XII, 1883 pg. 516, cfr. pg. 509 n.), qui est:

مئون من الآيّام خمسٌ

unde efficitur, Ibn-Zaidun per 500 dies in carcere inclusum fuisse.

19. Nonne tibi satis magna mihi poena patientia mea 500 dierum est,

20. et quod ego ab juventute exagitatus sum calamitate, quae vulnera vulneribus renovat,

21. morbo, qui sanari non potest, etsi visitator prae se fert amicitiam, quae sanationem promittit,

22. igne injuriae, cujus flammae paradisum securum occupant et ingens desertum factum est[118])?

23. Per patrem meum! Apud te est refrigeratio et pax ut ignis Abrahami[119]).

24. Laus intercessori debetur, quum enim pluvia abundat, venti [nubes cogentes], non nubes laudantur,

25. viro nobili, qui omnibus difficultatibus medetur, et principem celsissimum adit,

26. amico, qui fortunam mutat et nobili persuadet, ut promisso stet,

---

118) Qur. 68, 20.
119) Qur. 21, 69.

* وثناء أرسلته سلوة الظا — *
* عن عن شوقه ولهو المقيم *

* فهو ريحانة الجليس ولا فخ — *
* رَ ومنه مزاج كل النديم *

* لم تزل مُغضّيًا على هفوة الحجا — *
* نى مصيخا الى اعتذار المليم *

* ومتى تبداء الصنيعة يولعْ — *
* — ك تمام الخصال بالتتميم *

هاكها اعزّك الله يبسطها الآمل· ويقبضها الخجل· لها ذنب التقصير وحرمة الاخلاص فهَبْ ذَنْبا لحرمة· واشفع نعمة بنعمة· ليتاتّى لك الاحسان من جهاته· وتسلك الى الفضل طرقاته· ان شاء الله تعالى۞

27. Quam multa misi carmina, quibus eum laudavi, solatium e missum ab eo, qui desiderio et ejus et gaudii necessitudinis ejus captus erat.

28. Nam hic amicus — rem verbis non augeo — est balsamum et vinum praeclarissimum omnibus compotoribus suis.

29. Utinam semper contra obtrectationes scelesti surdus sis neve desinas admittere excusationes accusati,

30. Et quum beneficium aggressus es, ingenium tuum optimum te adigat, ut id perficias.

Tu, quem Deus honoribus afficiat, accipe hoc poema, quod spes expandit, contraxit pudor, cujus vitium est rem imperfectam relinquere, cujus jus sacrum est amicitiam puram offerre. Amicitiae sincerae vitium concede, beneficium beneficio adde, ut tibi ob id sit remuneratio, et ea via accedas ad gratiam divinam!

431002

In epistola Ibn-Zaiduni et in commentario Aç-Çaffadii laudantur versus:

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

This book is under no circumstances to be taken from the Building

OCT -5 1915		

form 410